NOVUS APHORISMORUM ORDO,

In quo non ſolum Hippocratis aphoriſmata, & ipſiuſmet Hippocratis praeſagia; verum etiam Joannis Jacobi Waldſchmidt opiniones, atque Aurelii Cornelii Celſi Selectiores ſententiae ſuo pariter ordine ſingulis in morbis exponuntur.

Diligentia, & cura Doctoris Phyſici

DOMINICI-ANTONII PISCIONIERI Giojoſenſis.

DICATUM

ILLUSTRISSIMO, AC AMPLISSIMO

VIRO

D. JOSEPHO DE STEPHANO.

* * *
* *
*

NEAPOLI MDCCXXXVIII.
EX TYPOGRAPHIA MUTIANA.
Superioribus annuentibus.

ILLVSTRISSIMO, AC NOBILISSIMO

DOMINO
D. JOSEPHO
DE STEPHANO

DOMINICUS-ANTONIUS PISCIONIERI
S. P. D.

UAE ſunt, Vir praeclariſſime, cauſſae, quae me ad conſecrandos meos tibi Medicinae labores potiſſimum impulerunt: altera, quod & officii mei ratio, & tuorum

morum probitas, & eximia animi indoles, & tuorum Procerum Nobilitas, ita postulabant: altera, ut prima fronte herois nomen ferendo perpetuo possit tui patrocinii fulgore nitens micare per Orbem: tali ergo commendabili caussa impulsus cum praeclarissimas tuorum Avunculorum praeeminentias, ac optimarum rerum ab ipsis gestarum ubique vestigia sedulo perpendissem, atque innumerabiles tui corporis, animique dotes, quibus non paucos ejusdem lineae viros praecellere tibi desuper datum fuit animo saepe numero revolvissem: sum ausus inclytae tuae confisus clementiae, atque benignitati Te, Illustrissime Domine, eligere, ut harum mearum lucubrationum hilari corde Patronus, ac

De-

Defenſor acerrimus exiſtas: etenim alios ex tuis Proceribus habitus Jeroſolymitanos geſtantes, nempe Fratrem D. Franciſcum, & D. Marcellum de Stephano, inveni atque etiam de Rodis Cruce Fratrem D. Matthaeum de Stephano, qui propter praeclara ejus geſta optime de chriſtiana Rep. meritus fuit, ac poſtquam è medio exceſſit, fuit in monumento ferreo arctiſſime clauſo honorifice conditus, in quo hoc inſcriptum reliquerunt: *Frater Matthaeus de Stephano Dei gratia, &c.* alios Barones Accadiae, Caſalisnovi, Morigerati, Pinciriſci, Bonatae, Caſellae, Sancti Marci, Trechiae, Sicilì, Manuppellae, Oleaſtri, Sancti Blaſii, Geldonae, &c. in quorum dominio adhuc perſeverantes: alios inter

primos Caroli Secundi familiares D. Petrum de Stephano, atque etiam Bertrandum de Stephano, Baldovinum, Andream quoque, & Matthaeum de Stephano a Regina Joanna I. supramodum benemeritos; inter Exercituum Generales D. Lelium, & D. Hyacinthum de Stephano; inter togatos D. Carolum, D. Honofrium, D. Marcumantonium, D. Prosperum, D. Petrum, D. Vincentium, D. Joannem Baptistam, ac D. Stephanum de Stephano inveni: alios in Cardinalium Collegio adscriptos, nempe Eminentiss. D. Petrum de Stephano, & D. Joannem Baptistam de Stephano summa doctrina, modestia, ac Sanctitate exornatos inveni: alios insuper ex nobilissimis hujus praestantissimae Neapolitanae Urbis

ex-

excellentiſſimos, Illuſtriſſimoſque Magnates tuae familiae ſanguine conjunctos, nempe Aquaviva, Bonito, Brancaccio, Capano, Caracciolo, Claps, Cotogna, Curiale, Filomarino, Gargano, Giugniano, Imbrea, Macedonio, Moccia, Palma, Pinto, Rugiero, Serſale, atque alios non infimi ſubſellii Equites inveni, quos ſi nominatim referre vellem idem eſſet, ac nunquam ab incepto deſinere. Ecquid non inveni? inveni inſuper amantiſſimum Patrem Tuum D. Stephanum de Stephano, qui paucis ab hinc annis ob innatam benignitatem, ineſplicabilemque pene doctrinam, & modeſtiam, in ſeipſo redundantem, ac erga Cives benevolentiam ſublimiores obtinuit gradus, atque a Carolo Noſtro Rege togam meruit ha-

bere, dein ob grata geſta Praeſidentem, Gubernatoremque generalem in Apuleae Provincia, & Brutii vectigalibus a dicto Noſtro invictiſſimo Rege Carolo eſſe meruit, atque ſumma cum laude ſuum exercuit munus, omnium poſtea Moerore naturae ſatisfecit. Non juvat igitur Avitam nominis tui claritatem in majoribus ſparſim inſequi cum eam omnem in Te, velut in alveum gloriae transfuſam, uberiorique tuarum virtutum ſplendore radiantem ſuos in fontes ita copioſe refundas, ut qui a Parentibus celebraris magnus, hoc a Te Parentes obtineant, ut majores exiſtimentur; enim vero ſi per profundam, ac vere Evangelicam animi tui demiſſionem mihi liceat, Te, a Puero ad Virum nume-

ris

ris omnibus abſolutum, tantillum, ac curſim demetiri quam ingentem laudis, ac Encomii ſegetem mihi offerent aetates illae tuae tot virtutibus illuſtres, quibus veluti meritorum gradibus ad ſupremum togatae dignitatis faſtigium, Te videre ſpero. Inde nemini mirum videri debet, quod vix aetatis egreſſus infantia, tanta foelicitate, ac facilitate Muſarum favori velificaveris, tamque celeri curſu, ſeu potius volatu in humaniorum litterarum, Legum, ac Philoſophiae Theatro ingentes profectus edideris, itaut in Romana Academia Thelemius Thelchinienſis appellatus; itemque Romae in Gallica Academia connumeratus, atque hic Academiam domi tuae Inveſtigantium,

ſub

ſub Te Principe, atque Academo habuiſti. Tu enim verum a falſo probe diſtinguis, & rerum Medullam exacte penetras. Nimirum Virtus tua ſemper anteivit aetatem, & pene naturae ſuae oblita, quae in aliis nonniſi ordine quodam, & gradatim confert, in tui perfectione velut moras exoſa celeri curſu antevertit: Infantia tibi Pueritia, Pueritia, Adoleſcentia, Adoleſcentia, Juventute provectior, Juventus denique longaevae aetatis dotibus ornatiſſima. Iſque in Te viſus eſt animi vigor, ea ſolertia, id conſilii, ut omnes in ea aetatula cum acerrimo judicio conjuncta eſſe tam matura conſilia mirarentur: ideoque merito in Te quadret praeclarum illud Philonis effatum, dum de Praecepto-

ri-

ribus Moyſis Regiam, & Egregiam indolem informantibus ait: *Eos intra modicum tempus ille ſuperavit nativa docilitate inſtitutionem praecurrens, ut reminiſci videretur, non diſcere; in rebus difficilioribus de ſuo comminiſcens aliquid*. Philo lib. 1. de vita Moyſis. Tuam equidem hoc oraculo delineatam eximiam animi indolem, nemo, qui Te Puerum noverit diffitebitur; ſed quam inſignis ex inde in Deum pietas, & mentis ardor jam tunc adoleſcenti! quam generoſa mundialis pompae deſpicientia, & florentis fortunae contemptus! quam verum, atque exactum de praeſentibus, ac futuris rebus judicium in ipſomet juventutis diſcrimine, teneraeque aetatis flexu facile convincit eximius ille vir-

tu-

tutum omnium in Te concentus! jamtum enim Illustme Domine, egregium implebas Cassiodori Monitum: *Mirabili temperamento concordiae, antequam possis Populos regere tuis prius moribus incipias imperare, hoc est profecto difficillimum pugnandi genus exercere Juvenem in suis sensibus principatum rerum: omnino bonum est Dominum triumphare de moribus, & hoc consequi in florida aetate ad quod vix credit cana modestia pervenire.* Quam ob rem jure merito est Virtus tua id consecuta, ut tibi Illustmam, ac Excellentissimam D. Agatam Minutoli, Principis Collaerealis filiam Uxorem conjunxit, iis dotibus animi, corporisque exornatam, ut forma, venustoque vultu longe multumque illi Graeca Helena conce-

dat,

dat, Judith Hebrea fortitudine, & prudentia, Romana Lucretia pudicitia, & honeſtate, Charitate conjugali Triara L. Vitellii Imperatoris fratris Conjux, quae tanto amore Viro adſtricta, ut nocte, qua Vir adverſus Veſpaſianum Taracinam magno Militum numero aggreſſus eſt, ipſa inter ſtrictos gladios, audendo, agendoque, dum hinc atque illinc manu ſua Hoſtes obtruncat, nulli Comilitonum virtute ſe inferiorem oſtendit, adeo audaci animo Muliebre pectus maritalis amoris flamma repleverat, ut ejus praelii victoria amori, charitatique conjugali Triarae adſcripta fuit. Nobilitatem praeclariſſimae Uxoris, tuae ejus genus egregium tacita relinquo, quis enim tot Duces,

tot

tot Heroes, tot Excelſos, glorioſoſque Viros poſſet literis complecti? Ex quo Conjugio, ut quae oculis videntur, animo cerno progeniem venturam, quae ſuis complebit virtutibus Orbem. Hoc Vir Illuſtme prae caeteris habes foelicitatis, & gloriae ſingularis, ut veluti Adamus innocens Deo donante, & ordinante ſuſcepiſti Uxorem adjutorium ſimile Tibi: haec ſunt praeſtantiſſime Domine, quibus maxime Te Paternae virtutis haeredem, ac emulatorem, probas. His igitur perpenſis hoc benignitati tuae dicavi opus, licet tenuiſſimum, ac non omni ex parte abſolutum çonſidero; quapropter te obſecro benigniſſime Dne, ne meum reicias munuſculum, etenim nondum quintum luſtrum exegi, & primi ſunt

mea-

mearum lucubrationum labores: nihilo tamen minus Prudentia, Charitas, Doctrina, Poteſtas, Valor, Honor, & Gloria, quae in Illuſtriſſima Tua de STEPHANO Familia concordi currunt motu, novamque alam famae meae addunt, ut ubique pandent Tuorum Avunculorum ornamenta: hinc reſpiciendo tot naturalibus, ac adventitiis, preaſtantiſſimiſque dotibus Tuam Familiam, perſonamque ſcatere; ideoque Tuam innatam rogo clementiam lubenter, gratoque animo hunc excipere partum laborum meorum, atque ſub ala Tui Patrocinii tegere, ac tutari: Ego itaque Deum omnium bonorum largitorem ardentiſſime praecabor, ut Tibi vitae annos plurimos, ac florentiſſimos, te-

que

que ad ſublimiores evehat gradus, Coeleſtique tandem Patria perfrui concedat. Vale.

Neap. 15. menſis Novembris 1738.

AUCTOR
Ad Lectorem.

NE *unicum talentum*, (eruditissime Lector) *quod mihi divina elargita est pietas, vili animo abscondere, jam ab ineunte aetate mihi incessit cupido, me ab ignaro vulgo secernendi, nobilique facultati mentis meae subiiciendae. Quapropter praeponderata humanarum scientiarum fruge, atque cum nil praestantius, nihilque utilius MEDICINA invenerim, me in vastum illius Oceanum compuli, quamquam asperitate, immensitateque sua hoc longe nimis ingenium meum, aetatemque Humanam superare nossem, quod etiam ab Hippocrate in libro primo, Aphorismorum primo confirmatur, etenim ait:* Vita brevis, Ars longa &c., *ut vix in illa suffecerint Nestoris anni, audaciave Columbi: Verum enim vero quo laboribus asperiorem, eo effectu jucundiorem humano generi ARS MEDICA praestitit: haec enim naturae intima percurrens arcana, Vitam Hominibus conservat, pollicetur, donat; quandoquidem salutiferis praeceptis, opportunisque praesidiis jam jam Languentium animas propinquas habentes, & qui ad Libitinae*

tinae limina prope adſtant, praeter expectationem redivivi, reduceſque Orbi reſtituuntur. Itaque optimae huic facultati me toto tradidi animo, quo me, nomenque meum a terreis ſordibus defenſurum ſpero. Peracto igitur hujus immenſi maris longo itinere, hoc nimis Tyronibus utile efformavi opus, in quo tum Hippocratis Aphoriſmata, atque ipſiuſmet Hippocratis praeſagia, tum Aurelii Cornelii Celſi, & Johannis Jacobi Waldſchmidt ſententiae, ordinatim accomodata continentur: agitur etiam de morbis Capitis, Pectoris, Abdominis, & de Febribus, deque morbis Mulierum, & Puerorum, ultimo demum in loco de aliis, quos potius ad Chirurgos, quam ad Medicos ſpectant. Verum in hac humillima, breviſſimaque epiſtola illud unum abs te (amice Lector) *peto, ut labori meo grato indulgeas animo, quippe qui ob ſolam tui utilitatem, ac facilius commodum hoc parvum opus ex variis ſententiis, authoritatibuſque efformavi. Accipe ergo laeto, lubentique animo, quos tibi offero meae induſtriae fructus; inſuper ſcito me brevi aliud de Anatomica Humani corporis notitia opus in lucem editurum, ſperans acceptum, proficuumque futurum. Vale. 8. Decembris* 1738.

In lode del Dottor Fisico

SIGNOR

D. DOMENICO-ANTONIO PISCIONIERI

Della Giojosa.

DOTTOR NICOLA GIANNI.

SONETTO.

IN Età Giovenile, oh quanto bella
La Fama Tua DOMENICO risplende!
S'un Mondo intier più luminoso rende,
Questa del Tuo saper Face novella.

Chiamar ti puoi del nostro Ciel la Stella,
Ch'a seguir l'opre tue, ogn'alma accede!
Ed a lodar le Tue virtù stupende,
Ogni lena già manca, ogni Favella!

Vanta Tua Padria già mirar d'Allori
Cinto quel Tuo bel Crin, ed a Stranieri
Mostrar di Tua Dottrina i primi Albori.

E preggio Tuo sarà, ch' in Tè s'avveri,
Ch'accresci al nome tuo nuovi splēdori,
E che la Gloria sei de' PISCIONIERI.

A lode del Dottor Fisico

SIGNOR

D. DOMENICO-ANTONIO PISCIONIERI

Della Giojosa.

DOTT. PIER TOMASO ZARZACA:

SONETTO.

CLoto troppo crudel, mai sẽpre avezza
A trucidar le Vite de' Mortali;
Deponi pur i tuoi pungenti Strali,
E a' danni tuoi l'Arco fatal' or ſpezza.

L'Uomo già nato il Tuo rigor non prezza,
Nè l' attriſtono più giorni fatali;
Se DOMENICO è quel, ch'a'ſuoi gran mali
Del ſuo grave ſaper moſtra l'Altezza.

GIOJOSA or sì, che già vantar ti puoi,
Che tra' più degni, e Glorioſi Figli,
Egli accrebbe via più li preggi Tuoi.

Cloto ſe già ſpezzò tutti l'Artigli,
Che pronti avea alli diſegni ſuoi,
Furon del Suo ſaper l'alti conſigli.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM,

Quae continentur in hoc opuſculo.

PARS PRIMA.

De Morbis Regionis Animae.

PARS SECUNDA.

De morbis Regionis Vitae.

De

PARS TERTIA

De morbis Regionis naturalis.

PARS

PARS QUARTA
De Febribus.

PARS QUINTA
De morbis Mulierum.

PARS SEXTA
De Morbis Puerorum.

PARS

PARS SEPTIMA
De Morbis ad partem Chirurgicam ſpectantibus.

NOVUS APHORISMORUM ORDO,

In quo non ſolum Hippocratis Aphoriſmata, atque Aurelii Cornelii Celſi Selectiores ſententiae; Verùm etiam Joannis Jacobi Waldſchmidt opiniones, & ipſiuſmet Hippocratis praeſagia ſuo paritèr ordine ſingulis in morbis exponuntur.

CAPUT I.

De morbis capitis, ſeu Regionis Animae, & primo de Cephalalgia, ſive recenti capitis dolore.



EPHALALGIA eſt *dolor capitis, qui quandoque internus eſt, & dolent cerebri meninges, quandoque externus, & affligitur pericranium.*

Quicumque ſani dolore capitis repente

capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. *Hip. lib. VI. Aph.* 51.

Dolente parte capitis poſteriore, in fronte recta vena inciſa, prodeſt. *Hip. lib. V. Aph.* 68.

Ex capitis ictu obſtupeſcentia, & deſipientia, malum. *Hip. lib. VII. Aph.* 14.

Lac dare caput dolentibus, malum: Malum vero, & febricitantibus, & quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant, & ſiticuloſis; Malum autem, & quibus in febribus acutis bilioſae ſunt dejectiones, & quibus ſanguinis multi dejectio facta eſt. Convenit autem Tabidis dare, qui non valde multum febricitant, & in febribus longis, & parvis, ſi nullum ex ſupradictis ſignis affuerit, & praeter rationem conſumptis. *Hip. lib. V. Aph.* 64.

Quibus capitis ſunt dolores, & ſonitus aurium citra febrim, & vertigo, & vocis tarditas, & manuum torpor, eos, aut Syderatos, aut oblivioſos fore. *Hip. lib. cloacor. praenotion.*

In forti dolore ventris, partium extremarum

rum frigiditas, malum. *Hip. lib.VII. Aph.*26.

Caput dolenti, & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſolvit. *Hip. lib.VI. Aph.*10.

Si vero Aeſtas ſicca fuerit, & Aquilonia: Autumnus vero pluvioſus, & Auſtralis, dolores capitis vehementes ad hyemem fiunt, & tuſſes, raucedines, atque gravedines, quibuſdam autem, & Tabes. *Hip. lib.III. Aph.*13.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Cephalalgiam ſententiae proponuntur.

I. OPtimum eſt remedium cibis non ſatiari. *Waldſchmidt*.

II. Venae ſectio in fronte, manu, vel pollice pedis nunquam erit fruſtranea. *Waldſchmidt*.

III. Arteriotomia in temporibus, & veſicatoria juxta aures generoſa hujus

morbi ſunt remedia *Waldſchmidt*.

IV. Clyſteres maximum ferunt juvamen. *Waldſchmidt*.

V. Peryodicis catarrhis cephalalgiae purgationis uſu frequenti ſubvenito. *Waldſchmidt*.

VI. Vinum capiti nocet. *Waldſchmidt*.

VII. Alvus quotidie ſuo reſpondeat officio. *Waldſchmidt*.

VIII. Cephalalgia a ſanguine cum ſenſu pulſationis phlebotomia ſuccurrito. *Waldſchmidt*.

IX. In purgantium uſu *mercur. dulc.* admiſcere licet. *Waldſchmidt*.

X. Hic affectus, ut plurimum eſt per conſenſum, rarius per eſſentiam, excepta lue venerea, & Scorbuto: hinc fere ſemper emeticum dari poteſt. *Waldſchmidt*.

XI. Opiata palliative curant, idque non ſine periculo gravioris recidivae, vel affectus lethargici. *Waldſchmidt*.

XII. Topica in forma liquida multis ſunt ſuſpecta, idque non ſine ratione mihi placent *frontalia* in forma ſicca ex *flor. papaver. rhaead. betonic., ſummit. aneth., nucl. perſicor. &c. Waldſchmidt*.

CA-

CAPUT II.

De Convulsione.

CONvulſio deſcribitur a Galeno *III. de locis affectis VII.* quod ſit: *Involuntaria membri retractio verſus ſuum principium, hoc eſt, verſus muſculi caput.*

Ubi ſanguis plurimus fluxerit, ſingultus, aut Convulſio ſuperveniens, malum. *Hip. lib.V. Aph.*3.

Convulſio ex vulnere, lethalis eſt. *Hip. lib.V. Aph.*2.

Ex nimia purgatione, Convulſio, aut ſingultus ſuperveniens, malum. *Hip. lib.V. Aph.*4.

Convulſio ex helleboro, lethalis eſt *Hip. lib.V. Aph.*1.

Si Ebrius quiſpiam repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur: Aut ubi ad horam pervenerit, qua ſolvuntur crapulae, vocem reciperet. *Hip. lib.V. Aph.*5.

A quartanis capti, non admodum a Convulſionibus capiuntur; Si vero prius

capiantur,& quartana ſupervenerit,liberantur. *Hip. lib.V. Aph.*70.

Convulſio fit, vel ex repletione, vel inanitione; ita vero, & ſingultus. *Hip. lib.VI.Aph.*39.

Ex medicamenti potione, Convulſio, lethalis eſt. *Hip. lib.VII. Aph.*25.

Ab aeſtibus fortibus Convulſio, aut Tetanus, malum. *Hip.lib.VII. Aph.*13.

Teſtis dexter frigidus, & Convulſus, lethale. *Hip. lib.VIII. Aph.*11. ex additis in *lib.VII.*ut ait Nicolaus Leonicenus.

Carnes ſanas habentibus,helleborus periculoſus: Facit enim Convulſionem. *Hip. lib.IV. Aph.*16.

Qui a Convulſione, aut diſtentione nervorum tenetur, febre ſuperveniente, liberatur. *Hip. lib.IV. Aph.*57.

Febrem Convulſioni ſupervenire, melius eſt, quam febri Convulſionem. *Hip, lib.II. Aph.*26.

In acutis Febribus Convulſiones, & circa viſcera dolores vehementes, malum. *Hip. lib.IV. Aph.*66.

In Febribus ex ſomnis pavores, vel Convulſiones, malum. *Hip.lib.IV. Aph.*67.

Frigidum autem Convulſiones, Tetanos, li-

livores, rigores febriles. *Hip. lib.V. Aph.*17.

Ulceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem inſupportabilem facit, livorem inducit, rigores febriles, Convulſiones, Tetanos. *Hip. lib.V. Aph.*20.

Tumores articulorum, atque dolores abſque ulcere, Podagras, ac Convulſiones, horum plurima frigida aqua large effuſa levat, & extenuat, ſolvitque dolorem, nam modicus torpor dolorem ſolvit. *Hip. lib.V. Aph.*25.

A profluvio ſanguinis, Deſipientia, ac Convulſio, malum. *Hip.lib.VII.Aph.*9.

Ab Ileo Vomitus, ſingultus, deſipientia, vel Convulſio, malum. *Hip. lib. VII. Aph.*10.

A Vigilia Convulſio, vel Deſipientia, malum. *Hip. lib.VII. Aph.*18.

Hippocratis praeſagiorum Liber Tertius.

SI Pueris in acuta Febre alvus nihil dejicit, neque Somnus accedit, ſed ter-

rentur, flent, color mutatur, ut modo pallidus, modo lividus; aut rubor efficiatur, nervorum Distentio timeri debet, utpote quae Pueros, qui septimum annum non dum accesserunt quam promptissime invadit, Grandiusculos vero Pueros, atque Adultos non adeo in Febribus nervorum distentio praehendit, nisi vehementis admodum malatiae signum aliquod affuerit, qualia videlicet in Phreneticis videntur.

CAPUT III.

De Tetano.

EST autem, ubi in Tetano sine ulceratione Juvene bene carnoso, aestate media, frigidae aquae multa perfusio calorem revocat. Calor autem haec solvit. *Hip. lib.V. Aph.*21.

Quicumque Tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt; si vero hos effugerint, sani fiunt. *Hip.lib.V.Aph.*6.

Frigidum autem Convulsiones, Tetanos, livores, rigores febriles. *Hip. lib.V. Aph.*17.

Ul-

Ulceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insupportabilem facit, livorem inducit, rigores febriles, Convulsiones, Tetanos. *Hip. lib.V. Aph.*20.

Ab aestibus fortibus Convulsio, aut Tetanus, malum. *Hip. lib.VII. Aph.*13.

Qui a convulsione, aut Distentione nervorum tenetur, Febre superveniente, liberatur. *Hip. lib.IV. Aph.*57.

CAPUT IV.

De Epilepsia.

DEfinitur Epilepsia ex Galeno 3. *de locis effectis* 7. quod sit: *Convulsio totius corporis per temporum intervalla cum sensuum omnium laesione.*

Quibuscumque morbi Comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt, quibuscumque autem vigesimo quinto; fere commoriuntur. *Hip. lib.V. Aph.*7.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, Febres longae, alvi pro-

profluvia, Putredines, Morbi Comitiales, & Apoplexiae, & Anginae. In ſiccitatibus autem Tabitudines, Lippitudines, Articulorum dolores, Stillicidia urinae, & Difficultates inteſtinorum. *Hip. lib.III. Aph.*16.

Vere etenim Furores, & Morbi melancholici, & Comitiales, & Profluvia Sanguinis, & Anginae, & Gravedines, & Raucedines, & Leprae, & Tuſſes, & Impetigines, & Vitiligines, & Puſtulae ulceroſae plurimae, & Tubercula, & Articulorum dolores. *Hip. lib.III. Aph.*20.

Juvenibus autem Sanguinis Spuitiones, Tabes, Febres acutae, Morbus Comitialis, & alii, ſed praecipue antedicti. *Hip. lib.III. Aph.*29.

Quicumque Juvenes Morbo Comitiali laborant, mutatione maxime aetatis, & temporum, & locorum, & Victuum quoque, liberantur. *Hip. lib. II. Aph.*45.

Autumno vero plurimi aeſtivi morbi fiunt, & Febres Quartanae, & Erraticae, & Lienes, Aquae inter cutem, & Tabes, & Stillicidia urinae, & Difficultates inteſtinorum, & Laevitates

in-

inteſtinorum, & Coxendicum dolores, & Anginae, & Aſthmata, Volvuli, Morbi comitiales, Furores, Melancholiae. *Hip. lib. III. Aph.* 22.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Epilepſiam ſententiae proponuntur.

I. FOeminae facilius fiunt Epilepticae, quam viri; ſed minori cum periculo, quia etiam facilius curantur. *VValdſchmidt*.

II. In omnibus purgantibus, *mercur. dulc.* largius addendus. *VValdſchmidt*.

III. Comitialis morbus ſaepius Foeminas, quam Viros occupat. *Waldſchmidt*.

IV. In acute Febricitantibus, & Infantibus Epilepticis, vel variolis, Medicus ſemper quaerere debet, an urina rite profluat, cum his morbis maximo cum Aegrotantis periculo ſupprimi ſoleat. *VValdſchmidt*.

V. In Infantibus lactantibus malum hoc fe-

fere ſemper ex primis viis. *Waldſchmidt*.

VI. Hic varie generoſa tentanda ſunt remedia, ut venae ſectio variis in corporis partibus inſtituenda. Hirudines vaſis ſedalibus adhibendae, vomitoria ſaepius adhibenda, Fonticulus in brachio, & ſetaceum in nucha, cauterium actuale vertici capitis applicetur, ulcus autem diu apertum ſervandum. *VValdſchmidt*.

CAPUT V.

De Apoplexia.

AUctores Apoplexiam deſcribunt, quod ſit: *ſubita privatio omnis ſenſus, & motus in toto corpore, ſola reſpiratione ſuperſtite*.

Apoplexiae autem fiunt maxime a quadrageſimo anno, uſque ad ſexageſimum. *Hip. lib. VI. Aph.* 57.

Solvere Apoplexiam fortem, impoſſibile; debilem vero, non facile. *Hip. lib. II. Aph.* 42.

Mor-

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, Febres longae, Alvi profluvia, Putredines, Morbi Comitiales, & Apoplexiae, & Anginae. In ſiccitatibus autem Tabitudines, Lippitudines, Articulorum dolores, Stillicidia urinae, & Difficultates inteſtinorum. *Hip. lib. III. Aph.* 16.

Senibus ſpirandi difficultates, Deſtillationes cum tuſſi, urinae ſtillicidia, & difficultates, Articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexiae, Habitus corporis depravatio, Pruritus totius corporis, Vigiliae; Alvi, Oculorum, & Narium humiditates, Viſus obtuſus, Glaucedines, Auditus graves. *Hip. lib.III. Aph.* 31.

Qui ſuffocantur, & a vita deficiunt, nondum tamen mortui ſunt, non referuntur in vitam, ſi ſpuma circa os appareat. *Hiſp. lib. II. Aph.* 43.

Qui natura admodum craſſi ſunt, citius intereunt, quam qui graciles. *Hip. lib. II. Aph.* 44.

Hyeme vero morbi laterales, & Pulmonis inflammationes, Gravedines, & Raucedines, Tuſſes, dolores pectoris,

La-

Laterum, Lumborum, & Capitis vertigines, & Apoplexiae. *Hip. lib. III. Aph.* 23.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Apoplexiam ſententiae proponuntur.

I. CLyſter acrior, qualis eſt *Antimonialis*, ocius injiciendus. *Waldſchmidt*.

II. Cauterium actuale vertici capitis, & nuchae abhibendum. *Waldſchmidt*.

III. Plantae pedum urtica urente acrius fricandae ſunt. *Waldſchmidt*.

IV. Venae ſectio omiſſa, Medicum reddit negligentem apud Vulgus; adhibita, exoſum, ſi Aeger poſt venae ſectionem moritur. *Waldſchmidt*.

V. Statim fortius vomitorium eſt infundendum, ut *Syrup. emetic.* ad *unc. VI.* vel *tartar. emetic.* ad *gr. VI. Waldſchmidt*.

VI. Regioni ventriculi *Spirit. vin. optim.*

de

dephlegmat.lint. duplicat. imponendus. *Waldschmidt.*

VII. Senibus egregie prodest *succlata*, & *ambra. Waldschmidt.*

VIII. Post paroxysmum scarificatio instituenda, Setaceum applicandum, fonticulus excitandus, sputatio promovenda, Purgandum, Sudandum, & Cerebrum cum Ventriculo roborandum. *Waldschmidt.*

CAPUT VI.

De Paralysi.

DEfinitur Paralysis, quod sit: *Privatio sensus, & motus, vel alterutrius, in una, vel pluribus corporis partibus.*



Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Paralysin sententiae proponuntur.

I. VEnae sectio Paralyticis rarius prodesse solet. *Waldschmidt.*

II. Thermae omnibus externis praeferendae, sive sint naturales, sive artificiales. *Waldschmidt.*

III. Purgantia fortiori stimulo sunt exaltanda,& omnia debent esse *Mercurialia. Waldschmidt.*

IV. Inter specifica *Vinum salviatum*, parcius tamen sumptum, & *tinctura succini*, cum *castoreo* laudem merentur. *Waldschmidt.*

V. Omnes Paralyticos affectus sudoribus per appropriata decocta, curato. *Waldschmidt.*

CA-

CAPUT VII.

De Vertigine.

ET tenebricoſa Vertigine laborans, & lucem averſans, & ſomno, ac ardore multo detentus, deſperatus. *Hip. lib.VIII. Aph.*15. ex additis in *lib.VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Eum, qui non febricitat, cibi faſtidium, Morſus oris ventriculi, Vertigo,& Oris amaritudo, purgatione indigere per ſuperiora ſignificant. *Hip. lib. IV. Aph.* 17.

Senibus ſpirandi difficultates,Deſtillationes cum tuſſi, Urinae ſtillicidia, & Difficultates, Articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexiae, Habitus corporis depravatio, Pruritus totius corporis, Vigiliae; Alvi, Oculorum, & Narium humiditates, Viſus obtuſus, Glaucedines, Auditus graves. *Hip. lib. III. Aph.* 31.

Hyeme vero morbi laterales, & Pulmonis inflammationes, Gravedines, &

Ultra hanc aetatem progressis, Asthmata, Morbi laterales, Pulmonis inflammationes, Lethargi, Phrenitides, Ardentes febres, Diuturna profluvia, Cholerae, Difficultates, & Laevitates intestinorum, Haemorrhoides. *Hip. lib. III. Aph.* 30.

Somnus, Vigiliae, utraque modum excedentia, morbus. *Hip. lib.VII.Aph.* 73.

CAPUT IX.

De Pervigilio, seu Agripnia.

A Vigilia Convulsio, vel Desipientia, malum. *Hip. lib. VII. Aph.* 18.

Somnus, atque Vigilia, utrumque si modum excesserit, malum. *Hip. lib.II. Aph.* 3.

Senibus spirandi difficultates, Destillationes cum tussi, Urinae stillicidia, & difficultates, Articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexiae, Habitus corporis depravatio, Pruritus totius corporis, Vigiliae; Alvi, Oculorum, & Narium humiditates, visus ob-

obtuſus, Glaucedines, Auditus graves. *Hip. lib.III. Aph.*31.

Somnus, Vigiliae, utraque modum excedentia, morbus. *Hip. lib.VII.Aph.*73.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Pervigilium ſententiae proponuntur.

I. OPiata ſemper horis veſpertinis, nunquam matutinis, ſunt exhibenda. *VValdſchmidt.*

II. *Theriaca recens* largius ſumpta, ante decubitum in Frigidioribus naturis, rarius fallit. *VValdſchmidt.*

III. Indubitatiſſimum remedium eſt *Theriaca Coeleſtis* veſperi ad *gr.IV.*, vel *V.* data, ſi Aegri conditio ferat. *VValdſchmidt.*

IV. In Calidioribus ſubjectis, *Emulſiones* quammaxime juvant. *VValdſchmidt.*

V. Pediluvia ex *lactuca*, *verbena*, *capit. papaver. alb.* alterata, hic multum

praeſtant. *VValdſchmidt*.

VI. Potum liberaliorem, diuturnum ſomnum, quietis longitudinem, inter noxia ducito. *VValdſchmidt*.

VII. Puerperae ſaepius vigiliis torquentur, tutiſſimum omnium remedium eſt, ſi tempora, *medulla cruris vitulini*; plantae pedum autem *ſevo hircino* illinatur. *VValdſchmidt*.

VIII. Peſſimum tamen eſt, ſi ſomnus, neque noctu, neque interdiu accedit, id enim ob dolorem, aut laborem accidit, vel delirium futurum ſignificat. *VValdſchmidt*.

Uti Somniferis, niſi nimia neceſſitas uſſerit, alienum eſt; ſunt enim ex vehementibus medicamentis, & ſtomacho alienis. *Cornel. Celſ. lib.V. Cap.25.*

CAPUT X.

De Phrenitide.

DEſcribitur communiter Phrenitis, quod ſit: *Delirium perpetuum cum febre acuta, continua, ab inflamma-*

matione cerebri, & membranarum ejus ortum.

Desipientiae, quae cum Risu fiunt, securiores; Quae vero cum studio, periculosiores. *Hip. lib.VI. Aph.*53.

Ex multa potatione, Rigor, & Desipientia, malum. *Hip. lib.VII. Aph.*7.

Ubi Somnus delirium sedat, bonum. *Hip. lib.II. Aph.*2.

Quicumque dolentes aliqua parte corporis omnino dolorem non sentiunt, iis Mens aegrotat. *Hip. lib.II. Aph.*6.

In quovis morbo mente constare, & bene se habere ad illa, quae offeruntur, bonum: Contra vero se habere, malum. *Hip. lib.II. Aph.*33.

Ubi in Febre non intermittente, difficultas spirandi, & delirium acciderit, lethale. *Hip. lib.IV. Aph.*50.

Quibus urinae albae sunt, & perspicuae, malae; Praesertim vero si in Phreneticis appareant. *Hip.lib.IV., Aph.*72.

Qui supra quadraginta annos Phrenetici fiunt, non admodum sanantur: Minus enim periclitantur, quorum naturae, & aetati, morbus similis fuerit. *Hip. lib.VIII., Aph.*1., ex additis in *lib.VII.,*

ut ait Nicolaus Leonicenus.

Ultra hanc aetatem progressis, Asthma, Morbi laterales, Pulmonis inflammationes, Lethargi, Phrenitides, Ardentes Febres, Diuturna profluvia, Cholerae, Difficultates, & Laevitates intestinorum, Haemorrhoides. *Hip. lib.III., Aph.*30.


Ab Ileo, Vomitus, Singultus, Desipientia, vel Convulsio, malum. *Hip. lib.VII., Aph.* 10.

A Pulmonis inflammatione, Phrenitis, malum. *Hip. lib.VII., Aph.* 12.

Ex capitis ictu Obstupescentia, & Desipientia, malum. *Hip. lib.VII., Aph.*14.

A Vigilia Convulsio, vel Desipientia, malum. *Hip. lib.VII., Aph.*18.

A profluvio sanguinis, Desipientia, ac Convulsio, malum. *Hip.lib.VII., Aph.*9.



Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Phrenitidem sententiae proponuntur.

I. PLantis pedum revellentia, ut *sapo niger*, *Fermentum*, *Brassica capitata*, *&c.* *VValdschmidt*.

II. Carpis manuum, *Vesicatoria*, sunt applicanda. *VValdschmidt*.

III. Venae sectio in pedibus instituenda, & reiteranda. *VValdschmidt*.

IV. Blandiora *acida*, & *pulveres cinnabarini* cum *Emulsionibus* inter interna, omne ferunt punctum. *VValdschmidt*.

V. Capiti *resolventia*, & *discutientia* sunt imponenda, ut *Columbae*, *Pipiones*, *Cuniculi*, & *Gallinae* recentes dissectae. *VValdschmidt*.

Insigniores Aurelii Cornelii Celsi circa Phrenitidem breviter hic adnotantur sententiae.

I. QUibus caussa doloris, neque sensus ejus est, his Mens laborat. *Cornel. Cels. lib.II., cap.7.*

II. Phreneticis somnus difficilis, & praecipuè necessarius est; sub hoc enim plerique sanescunt. *Cornel. Cels. lib.3. cap.28.*

CAPUT XI.

De Mania.

PRactici maniam describunt, quod sit: *Delirium sine Febre cum furore, & temeritate conjunctum.*

Quicumque dolentes aliqua parte corporis, omnino dolorem non sentiunt, iis Mens aegrotat. *Hip. lib.II. Aph.6.*

In

In quovis morbo mente constare, & bene se habere ad illa, quae offeruntur, bonum: Contra vero se habere, malum. *Hip. lib.II. Aph.*33.

Melancholia, & Nephritide laborantibus haemorrhoides supervenientes, bonum. *Hip. lib.VI. Aph.*11.

Si Timor, atque moestitia longo tempore perseverent, ex eo atra bilis significatur. *Hip. lib.VI. Aph.*23.

In Insanientibus, si Varices, vel haemorrhoides supervenerint, insaniae solutio. *Hip. lib.VI.Aph.*21.

A Furore Difficultas intestinorum, vel aqua intercus, vel mentis alienatio, bonum. *Hip. lib.VII. Aph.*5.

Qui supra quadraginta annos Phrenetici fiunt, non admodum sanantur: Minus enim periclitantur, quorum naturae, & aetati, morbus similis fuerit. *Hip. lib. VIII. Aph.* 1. ex additis in *lib.VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Vere etenim FURORES, & Morbi Melancholici, & Comitiales, & Profluvia sanguinis, & Anginae, & Gravedines, & Raucedines, & Leprae, & Tusses, & Impetigines, & Vitiligines,

&

& Pustulae ulcerosae plurimae, & Tubercula, & Articulorum dolores. *Hip. lib.III. Aph.*20.

Autumno vero plurimi aestivi morbi fiunt, & Febres Quartanae, & Erraticae, & Lienes, Aquae inter cutem, & Tabes, & Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum, & Laevitates intestinorum, & Coxendicum dolores, & Anginae, & Asthmata, Volvuli, Morbi Comitiales, FURORES, Melancholiae. *Hip. lib.III. Aph.*22.

Desipientiae, quae cum Risu fiunt, securiores; Quae vero cum Studio, periculosiores. *Hip. lib.VI. Aph.*53.

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Maniam sententiae proponuntur.

I. SOmnus quovis modo conciliandus. *VValdschmidt.*

II. Pro potu ordinario, convenit *Serum lactis*. *VValdschmidt*.

III.

III. *Vomitoria* Fortiora proſunt. *VValdſchmidt*.
IV. *Venae ſectio* largior, conducit. *VValdſchmidt*.
V. Omnes Maniaci generoſi, ferunt generoſa remedia. *VValdſchmidt*.

CAPUT XII.

De Catarrho.

PRo Catarrho intelligunt Practici *illapſum humoris in Os, & Pectus*. Verum multoties hic humor defluit in nares, & dicitur Coryza, ſeu Gravedo, aliquando ad Fauces, aſperamque Arteriam, & dicitur Branchos, ſeu Raucedo; Interdum ad Pectus, & dicitur Rheuma; Itaut Schola Salernitana cecinit.

Si Fluat ad Pectus dicatur Rheuma Catarrhus,
Si ad Fauces Branchos, ſi ad nares, eſto Coryza.

Deſtillationes in Ventrem Superiorem ſuppurantur intra viginti dies. *Hip. lib. VII. Aph.* 38.

Rau-

Raucedines, & Gravedines in valde ſenibus coctionem non admittunt. *Hip. lib.II. Aph.*40.

Si vero Aeſtas ſicca fuerit, & Aquilonia: Autumnus vero pluvioſus, & Auſtralis, dolores capitis Vehementes ad Hyemem fiunt, & Tuſſes, Raucedines, atque Gravedines, quibuſdam autem, & Tabes. *Hip. lib.III. Aph.*13.

Vere etenim Furores, & morbi Melancholici, & Comitiales, & Profluvia Sangninis, & Anginae, & Gravedines, & Raucedines, & Leprae, & Tuſſes, & Impetigines, & Vitiligines, & Puſtulae ulceroſae plurimae, & Tu- [illegible]rcula, & Articulorum dolores. *Hip. lib.III. Aph.*20.

Hyeme vero Morbi laterales, & Pulmonis inflammationes, Gravedines, & Raucedines, Tuſſes, dolores pectoris, Laterum, Lumborum, & Capitis Vertigines, & Apoplexiae. *Hip. lib.III, Aph.*23.

Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Catarrhum ſententiae proponuntur.

I. ABſtinentia e coena Catarrhoſis commendanda. *VValdſchmidt*.

II. Inter ſpecifica omnia ex *ligno Saſsafras* laudantur, ut *eſſent. lign. Saſſafr.* cum *Spirit. vin. tartariſat.*; *aq. lign. ſaſſafr.* &c. *VValdſchmidt*.

III. Praeſervationis gratia ſemper, Luna decreſcente, corpus blande purgandum. *VValdſchmidt*.

IV. *Opiata* locum habent, ut *pilul. de Cynogloſ.*, *Theriac. recent.*, *pilul. de Styrac. Syl.* &c. *VValdſchmidt*.

V. Decantata ſunt in his morbis remedia, *Fonticuli*, *Sudorifera*, *Suffumigia*, *Venae ſectio*, *Veſicatoria*, &c. *VValdſchmidt*.

CA-

CAPUT XIII.

De Ophthalmia.

LIppientem alvi profluvium corripi, bonum. *Hip. lib.VI., Aph.*17.

Dolores oculorum, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venae sectio, aut medicamentum epotum, solvit. *Hip. lib.VI., Aph.*31.

Dolores oculorum post meri potionem, & aquae calidae balneum, venae sectione curato. *Hip. lib.VII., Aph.*46.

Aestate autem nonnulli horum, & Febres Continuae, & Ardentes, & Tertianae Febres, & Quartanae, & Vomitus, & Alui profluvia, & Lippitudines oculorum, & Aurium dolores, & Oris ulcerationes, genitalium putredines, & sudores. *Hip. lib. III. Aph.* 21.

Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, Urinae stillicidia, & difficultates, Articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexiae, ha-

habitus corporis depravatio, Pruritus totius corporis, Vigiliae; Alvi, Oculorum, & Narium humiditates, Visus obtusus, Glaucedines, Auditus graves. *Hip. lib. III. Aph.* 31.

Si vero Aquilonius, & siccus, iis, qui naturam habent humidiorem, & Mulieribus conferet; reliquis autem erunt Lippitudines siccae, & Febres acutae, & diuturnae; nonnullis vero morbi Melancholici. *Hip. lib. III. Aph.* 14.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, Febres longae, Alvi profluvia, Putredines, Morbi comitiales, & Apoplexiae, & Anginae. In siccitatibus autem Tabitudines, Lippitudines, Articulorum dolores, Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum. *Hip. lib. III. Aph.* 16.



Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Ophthalmiam sententiae proponuntur.

I. PUrgantia sunt necessaria. *Waldschmidt.*
II. Aër frigidus evitandus. *Waldschmidt.*
III. Alumen, Vitriolum album, & Tutia anima Oculi exstimantur. *Waldschmidt.*
IV. Vitanda sunt Lucida, Radii solares, Frigida, & Acria. *Waldschmidt.*
V. Remedia Chirurgica hic efficaciter agunt, Venae sectio, Scarificatio, Vesicatoria, Hirudinum applicatio ad vasa temporalia, Fonticuli, Setacea. *Waldschmidt.*
VI. Remedia interna cephalica, & Stomachica sunt, ut *Salvia*, *Euphrasia*, *Anthos*, *Foeniculi*. *VValdschmidt.*
VII. Pilulae cephalicae, sive ophthalmica semper, luna decrescente, exhibendae. *VValdschmidt.*

VIII.

VIII. Inter Collyria, *infusa antimonialia*, excellunt. *VValdschmidt*.

CAPUT XIV.

De Narium Haemorragia.

HAemorrhagia in genere sumpta, quamquam sanguinis effusionem significat; hic tamen pro sola Narium haemorrhagia sumitur.

Grandioribus autem, & jam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his, & Febres diuturnae magis, & ex naribus Profluvia Sanguinis. *Hip.lib.III.Aph.*27.

Vere etenim Furores, & Morbi Melancholici, & Comitiales, & Profluvia sanguinis, & Anginae, & Gravedines, & Raucedines, & Leprae, & Tusses, & Impetigines, & Vitiligines, & Pustulae ulcerosae plurimae, & Tubercula, & Articulorum dolores. *Hip. lib.III.Aph.*20.

Ubi sanguis plurimus fluxerit, Singultus, aut Convulsio superveniens, malum. *Hip.lib.V.Aph.*3.

In his Frigido est utendum, unde fluit anguis, aut fluxurus est, non ad ipsa admoto, sed circa ea, unde influit, & ubicumque inflammationes, aut veluti incendia quaedam ad rubrum, & floridum, sanguine recenti, tendunt, iis ipsis admoto: Nam Veteribus nigredinem affert: Erysipelas etiam non ulceratum juvat: Nam exulceratum laedit. *Hip.lib.V. Aph.*23.

Frigida qualis nix, & glacies, pectori inimica: Tusses movent, Sanguinis profluvium, & Destillationes. *Hip. lib.V. Aph.* 24.

Menstruis deficientibus, Sanguis ex naribus fluens, bonum. *Hip. lib. V. Aph.*33.

Caput dolenti, & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel Sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum Solvit. *Hip.lib.VI.Aph.*10.

A Profluvio sanguinis, desipientia, ac Convulsio, malum. *Hip. lib. VII. Aph.* 9.

Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Narium Haemorrhagiam ſententiae proponuntur.

I. PUrgantia rarius hic prodeſſe ſolent. *VValdſchmidt.*

II. Omnia ex *Vitriolo*, præparata adjuvant facillime. *VValdſchmidt.*

III. *Stercus Suillum*, utcumque ſordidum ſit medicamentum, praeſtantiſſimum tamen affert auxilium, externe, & interne. *VValdſchmidt.*

IV. Venae ſectio nunquam negligenda, ſatius tamen eſt ſanguinem in pauca quantitate extrahere. *VValdſchmidt.*



CAPUT XV.

De Odontalgia.

ODontalgia idem eſt apud Practicos, ac *Dolor Dentium*.

Frigidum inimicum oſſibus, Dentibus, Nervis, Cerebro, Spinali medullae: Calidum vero utile. *Hip.lib.V.Aph.*18.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Odontalgiam ſententiae proponuntur.

I. VEnae Sectio in manu, vel etiam ſub lingua prodeſt. *VValdſchmidt.*

II. Alvus lubrica ſervanda. *VValdſchmidt.*

III. Dolor Dentium quandoque infallibile eſt ſignum conceptionis, quod plurimae confirmarunt Mulierculae. *VValdſchmidt.*

IV. *The-*

IV. *Theriaca recens* externe impoſita haud exiguam confert medelam. *VValdſchmidt.*

V. Ipſum *opium* cavo dentis inditum doloris demulcet atrocitatem. *VValdſchmidt.*

VI. Omnia Frigida, Fervida, & Xaccharata, nocent. *VValdſchmidt.*

VII. Fumus *Seminum hyoſciami* carbonibus injectum, ore hauſtus, multis profuit, praeſertim, ſi dolor fuerit a Vermibus. *VValdſchmidt.*

VIII. Dentibus nocent *Frigida*, *Acria*, *Dulcia*, *Fervida*, *Acida*, *Lac*, *Caſeus &c. VValdſchmidt.*

IX. Armoniacalia foetorem dentium corrigunt, ſed & ipſos quoque reddunt friabiles. *VValdſchmidt.*

X. Qui aquam fontanae bibunt, elegantiſſimos habent dentes, ut plurimum; Qui vino indulgent, nigros, & corruptos. *VValdſchmidt.*



NOVUS APHORISMORUM ORDO.

PARS SECUNDA,

De Morbis Regionis Vitae.



Uemadmodum poſt Caput Thorax ſequitur, ſic quoque poſt enumeratas capitis aegritudines, Thoracis affectiones enarrandas agredimur; Quoniam vero Thoraci haeret collum, non abs re erit Colli praecipuam aegritudinem hoc loco recenſere.

CAPUT I.

De Angina.

ANginam deſcribunt Practicantes, quod ſit: *Inflammatio faucium, vel La-*

Laryngis cum deglutitionis, vel respirationis difficultate.

Quicumque ab Angina liberantur, iis ad Pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt; Si vero hos effugerint, suppurantur. *Hip.lib.V.Aph.*10.

Angina correpto, si tumor fiat in collo, bonum; Foras enim morbus deducitur. *Hip.lib.VI.Aph.*37.

Ab Angina correpto tumor, & rubor in pectore superveniens, bonum: Extra enim vertitur morbus. *Hip. lib.VII.Aph.*49.

Si Febrem habenti suffocatio repente supervenerit, nullo tumore in faucibus existente, est lethale. *Hip. lib. IV. Aph.*34.

Si Febrem habenti repente collum pervertatur, ac vix possit devorare; non existente tumore, lethale est. *Hip. lib.IV. Aph.*35.

Autumno vero plurimi aestivi morbi fiunt, & Febres Quartanae, & Erraticae, & Lienes, Aquae inter cutem, & Tabes, & Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum, & Laevitates intestinorum, & Coxendicum do-

dolores, & Anginae, & Aſthmata, Volvuli, Morbi Comitiales, Furores, Melancholiae. *H p.lib.III. Aph.*22.

Vere etenim Furores, & Morbi Melancholici, & Comitiales, & Profluvia ſanguinis, & Anginae, & Gravedines, & Raucedines, & Leprae, & Tuſſes, & Impetigines, & Vitiligines, & Puſtulae ulceroſae plurimae, & Tubercula, & Articulorum dolores. *Hip.lib.III.Aph.*20.

Ubi Fauces aegrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, excretiones inſpicere oportet; nam ſi bilioſae fuerint, corpus una aegrotat; ſi vero ſimiles ſan s fiant, tutum eſt corpus nutrire. *Hip.lib.II.Aph.*15.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, Febres longae, Alvi profluvia, Putredines, Morbi Comitiales, & Apoplexiae, & Anginae. In ſiccitatibus autem Tabitudines, Lippitudines, Articulorum dolores, Stillicidia urinae, & Difficultates inteſtinorum. *Hip.lib.III.Aph.*16.

Si Febre correpto, tumore non exiſtente in faucibus, ſuffocatio repente ſuper-

perveniat, & non poſſit devorare, niſi vix, lethale. *Hip.lib.VII.Aph.*60.

Si Febre correpto collum pervertatur, & devorare non poſſit, tumore non exiſtente in collo, lethale. *Hip. lib. VII. Aph.*61.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Anginam ſententiae proponuntur.

I. FRigida ſunt Anginoſis inimiciſſima. *VValdſchmidt.*

II. Purgantia eodem carbone notentur. *VValdſchmidt.*

III. Nunquam omittenda venae ſectio ſub lingua, & ſi mature fueris vocatus, in brachio, vel habita ratione circumſtantiarum, in pede. *VValdſchmidt.*

IV. Angina ſedulo a Tonſillarum tumore, & inflammatione diſtinguenda; illa curatur *bezoardicis*, haec *anticatarrhalibus*. *VValdſchmidt.*

V. An-

V. Anginoſus ſemel, facile eodem ſaepius corripitur morbo. *VValdſchmidt.*

VI. Quies partium inflamatarum admodum neceſſaria; hinc Aeger parum loquatur, ne fauces irritet, praeſtat *gargariſmum* ſaepius in ore detinere. *VValdſchmidt.*

VII. Blandiora *diaphoretica* in curatione, omne ferunt punctum. *VValdſchmidt.*

VIII. Inter Prophylactica, vix datur praeſtantius remedium, quam Fonticulus in brachio excitatus. *VValdſchmidt.*

IX. Valenti corpori, ſi qua ſanguinis miſſio ſuppreſſa ſit, venam ſecato. *VValdſchmidt.*

CAPUT II.

De Tuſſi.

GAlenus libro II. de Symptomatum cauſſis, capite IV. ait, quod Tuſſis ſit: *Vehementiſſima quaedam efflatio, qua plurimus ſimul, celerrimeque actus foras ſpiritus, ſeu Aër attrahit, pro-*

pel-

pellitque una secum suo impetu, quae vias suas obstruunt. Nihilo tamen minus Willisius distintius explanavit, etenim ait, quod sit: *Expiratio vehemens, crebrior, inaequalis, & sonora, cum partium ipsi destinatarum motu quodam spasmodico facta, cum, vel sine excretione rei excrementitiae a re molesta ejusdem organa irritante proveniens*. Hactenus Willisius.

Quibus plurimum siccae TUSSES leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur. *Hip. lib.IV.Aph.*54.

Vere etenim Furores, & Morbi Melancholici, & Comitiales, & Profluvia sanguinis, & Anginae, & Gravedines, & Raucedines, & Leprae, & Tusses, & Impetigines, & Vitiligines, & Pustulae ulcerosae plurimae, & Tubercula, & Articulorum dolores. *Hip.lib.III. Aph.*20.

Si vero aestas sicca fuerit, & Aquilonia; Autumnus vero pluviosus, & Australis, Dolores capitis vehementes ad Hyemem fiunt, & TUSSES, Raucedines, atque Gravedines, quibusdam

autem

autem & Tabes. *Hip.lib.III. Aph.*13.

Hyeme vero morbi Laterales, & Pulmonis inflammationes, Gravedines, & Raucedines, TUSSES, Dolores pectoris, Laterum, Lumborum, & capitis Vertigines, & Apoplexiae. *Hip. lib.III.Aph.*23.

Frigida qualis nix, & glacies, pectori inimica: TUSSES movent, ſanguinis profluvium, & Deſtillationes. *Hip. lib.V.Aph.*24.

Qui Gibi ex Aſthmate, aut TUSSI fiunt, ante pubertatem moriuntur. *Hip. lib.VI.Aph.*46.

Senibus ſpirandi difficultates, Deſtillationes cum TUSSI, Urinae ſtillicidia, & difficultates, Articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexiae, Habitus corporis depravatio, Pruritus totius corporis, Vigiliae; Alvi, Oculorum, & Narium humiditates, Viſus obtuſus, Glaucedines, Auditus graves. *Hip.lib.III. Aph.*31.

Aqua inter cutem laborans, ſi TUSSI corripiatur, deſperatas eſt. *Hip. lib.VII.Aph.*47.

In aetatibus autem talia contingunt:

Par-

Parvis, & nuper natis Puerulis, Oris ulcera (quae Aphthae vocantur) Vomitus, TUSSES, Vigiliae, Pavores, Umbilici inflammationes, Aurium humiditates. *Hip.lib.III.Aph.*24.

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Tussim sententiae proponuntur.

I. IN TUSSI humida, & mucosa pectorali, *opiata*, vel plane, vel rarius exhibenda, ne humores concentrati inflammationem inducant. *VValdschmidt.*

II. In TUSSI praesertim pectorali, *purgantia* datam Practicorum fidem non liberant, imo si ex aëris inclementia tussis fuerit contracta plus nocent. Tusses pectorales a purgantibus solent exasperari. *VValdschmidt.*

III. In TUSSI Infantum, quae ut plurimum stomachalis est, praemisso Emetico, *absorbentia* cum *arcano duplicato* exhibita levamen afferunt. *VValdschmidt.*

IV.

IV. In TUSSI pectorali ſicca ex lymphae acrimonia, ſive, ut loquuntur, ex materia tenui, *opiata & papaverina* horis veſpertinis exhibita omne ferunt punctum, praeſertim ſi nobilitentur *Sudoripheris*, ut *liq. c. c. ſuccinat*; *Spir. Sal. armoniac.*, admodum enim conducit movere ſudores in TUSSI pectorali. *VValdſchmidt.*

V. In TUSSI ſtomachali quammaxime proſunt *elix. proprietat.*, *Tinctur. Sulph.*, *Tinctur. antimon.*, *Tinctur. tartar.* *VValdſchmidt.*

VI. Quamvis venae ſectio a Practicis tantopere non commendatur, magnae tamen eſſe ſolet efficaciae in Tuſſi fere quacumque. *VValdſchmidt.*

VII. Eſus carnium interdicendus. *VValdſchmidt.*

VIII. Vinum, & ſpirituoſa nocent. *VValdſchmidt.*

IX. In Tuſſi convulſiva Infantum ex dentitione difficiliori orta, omnibus remediis, Veſicatoria praeferuntur. *VValdſchmidt.*

X. Clyſteres in Tuſſi conducunt, quia acrimoniam temperant. *VValdſchmidt.*

XI.

XI. Clyſteres in Tuſſi Epidemica nunquam injiciendi, praeſertim in Mulieribus hyſtericis convulſionibus obnoxiis, hypochondriacis; intelligendum autem hoc tantum eſt de fortioribus, & acrioribus clyſteribus. *VValdſchmidt.*

XII. In Tuſſi pectorali dari poſſunt vulgaria quaedam remedia, quae melius juvant, quam praetioſa, ut *decoct.rapar.*cum *Xaccharo candido*, *ſuccus raphan.*cum *Xaccharo candido*, *Spiritus Vini* ſuper ficus deflagratus mel, vel hydromel,quod coqui poteſt cum *Scabioſa*, *Haedera Terreſtri*, *Veronica*, *Pulmonaria*, *Pulpu paſſularum* cum *floribus ſulphuris*, *conſerva roſarum* cum *pulvere* radicis *Enulae*, vel famoſum illud *balſamum ſulphuris aniſatum*, vel *oleum Xacchari*. *VValdſchmidt.*



CAPUT III.

De Asthmate, & Spirandi Difficultate.

ASthma, quamvis communiter recipiatur pro quacumque respirationis offensione; nihilo tamen minus distinguendum est ejus peculiare significatum, atque illud restringendum ad pulmonis, & adjacentium partium affectum; Quem dividere convenit in Idiopathicum, & Sympathicum; atque utrumque subdividere, in tres species, secundum magis, & minus, tantum differentes; *Dyspnoeam* nempe, *Asthma*, & *Ortopnoeam*.

Qui Gibbi ex Asthmate, aut Tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur. *Hip. lib.VI. Aph.*46.

Quibuscumque per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quemvis alium

alium modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti ſanguis niger, per inferiora ſubſederit, poſtridie moriuntur. *Hip. lib.IV.Aph.*23.

Circa initia, & fines omnia imbecilliora; Circa ſtatum vero vehementiora. *Hip.lib.II.Aph.*30.

Autumno vero plurimi aeſtivi morbi fiunt, & Febres Quartanae, & Erraticae, & Lienes, Aquae inter cutem, & Tabes, & Stillicidia urinae, & Difficultates inteſtinorum, & Laevitates inteſtinorum, & Coxendicum dolores, & Anginae, & Aſthmata, Volvuli, morbi comitiales, Furores, Melancholiae. *Hip.lib.III.Aph.*22.

Senibus ſpirandi difficultates, Deſtillationes cum Tuſſi, Urinae Stillicidia, & Difficultates, Articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexiae, habitus corporis depravatio, pruritus totius corporis, Vigiliae: Alvi, Oculorum, & Narium humiditates, viſus obtuſus, Glaucedines, auditus graves. *Hip.lib.III.Aph.*31.

Ubi in Febre non intermittente, difficultas ſpirandi, & delirium acciderit,

lethale. *Hip. lib. IV. Aph.* 50.

In Febribus Spiritus offendens, malum: Convulſionem enim ſignificat. *Hip. lib. IV. Aph.* 68.

Ultra hanc aetatem progreſſis, Aſthma, morbi laterales, Pulmonis inflammationes, Lethargi, Phrenitides, Ardentes febres, Diuturna profluvia, Cholerae, difficultates, & laevitates inteſtinorum, Haemorrhoides. *Hip. lib. III. Aph.* 30.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Aſthmata, & ſpirandi difficultatem ſententiae proponuntur.

I. PUrgantia fortiora aufugienda, mitiora conveniunt. *VValdſchmidt.*

II. Dyſpnoea, vel reſpiratio difficilis in Puerperis febre continua correptis, ſemper monſtri quid alit, & fere omnes moriuntur. *Waldſchmidt.*

III. Quoties ad Aſthmaticum vocamur ad-

admiſcenda uterina ſunt, ut *caſtoreum*, *aqua pulegi*, *Meliſſae &c. Wallſchmidt*.

IV. Quia Mulieres non bene ferunt Vomitoria, omitti poſſunt: in Infantibus autem ſemper neceſſaria videntur. *VValdſchmidt*.

V. Si Aſthma per conſenſum eſt ab inflatione Ventriculi, Abdominis, commendantur multa remedia, ut *oleum carui*, *eſſentia carminativa* Wedel. *VValdſchmidt*.

VI. Venae ſectio non in quovis Aſthmate admittenda, niſi adfuerit magna plethora, tunc concedi poteſt, ſi a menſium defectu, vel haemorrhoidum ſuppreſſione, tunc quoque adminiſtrari poteſt, praecipue in pede. *Waldſchmidt*.

CAPUT IV.

De Haemoptoë, ſive ſanguinis ſputo.

HAEmoptyſis ex Galeno *I. de cryſibus capite V.* accipitur pro ſanguinis

nis excretione, quae a partibus vitalibus contingit.

Quicumque ſanguinem ſpumoſum extuſſiunt, iis e pulmone eductio fit. *Hip. lib.V. Aph.* 13.

Mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio advenit. *Hip. lib.V. Aph.*32.

A Sanguinis ſputo, puris ſputum, malum. *Hip.lib.VII.Aph.*15.

A Sanguinis Vomitu, Tabes,& puris purgatio ſupra. *Hip. lib.VII. Aph.*80.

(A ſanguinis ſputo, puris ſputum, & fluxio, poſtquam autem ſputum inhibetur, moriuntur.)

Sanguinem quidem ſupra ferri, qualiſcumque ſit, malum: infra autem bonum,cum niger deiicitur.*Hip.lib.IV. Aph.* 25.

Juvenibus autem ſanguinis ſpuitiones, Tabes, Febres acutae, Morbus Comitialis, & alii, ſed praecipue antedicti. *Hip. lib.III. Aph.*29.

Frigida qualis nix, & glacies, pectori inimica: Tuſſes movent, Sanguinis profluvium, & Deſtillationes. *Hip. lib.V. Aph.* 24.

Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Sanguinis sputum sententiae proponuntur.

I. VInum exulare debet. *Waldschmidt*.

II. Aeger vel parum, vel nihil loquatur. *Waldschmidt*.

III. Fumus Nicotianae Haemoptysi est inimicissimus. *Waldschmidt*.

IV. Somnus longior omnibus prodest haemoptysicis, & phthisicis. *Waldschmidt*.

V. Cum hic affectus facile abeat in phthisin, suadenda sunt omnia, quae exulcerationem impedire possunt, qualia sunt vulneraria paululum adstringentia, ut *portulaca*, *trifolium*, *plantago*, *haedera terrestis*, & similia. *Waldschmidt*.

VI. Verum cum solum adstringat, interponenda sunt remedia sanguinis grumos dissolventia, ut *lap.* 69.

fluviat, ſucc. urtic. depurat., Sperm. Coet. &c. Waldſchmidt.

VII. Electuarium ex conſerva roſarum, & ſeminum hyoſciami praeſtantiſſimum erit remedium (ait Boyl. in ſua experimentali philoſophia .) *Waldſchmidt.*

VIII. Quemadmodum Venae ſectio hic ſemper eſt neceſſaria, ita purgantium uſus nunquam ſine periculo . *Waldſchmidt.*

Qui ſpumantem ſanguinem excreant, is in pulmone vitium eſt . *Cornel. Celſ. lib. II. cap. 7.*

Saepe Foeminae, quibus per menſtrua non reſpondet, hunc expuunt. *Cornel. Celſ. lib. IV. Cap. IV.*

CAPUT V.

De Tabe, & Phthiſi.

EST autem Phthiſis: *Conſumptio universi corporis cum febre lenta, inſequens inſanabilia pulmonis ulcera.* Quae longo tempore extenuata ſunt corpora, lente reficere oportet; Quae

vero

vero brevi, breviter. *Hip. lib. II. Aph.* 7.

Circa initia, & fines omnia imbecilliora; Circa ſtatum vero vehementiora. *Hip. lib.II. Aph.*30.

Dum pus conficitur dolores, & Febres accidunt magis, quam jam confecto. *Hip. lib.II. Aph.*47.

Autumnus Tabidis Malus. *Hip. lib. III. Aph.*10.

Si vero Aeſtes ſicca fuerit, & Aquilonia: Autumnus vero pluvioſus, & Auſtralis, delores capitis vehementes ad Hyemem fiunt, & Tuſſes, Raucedines, atque Gravedines, quibuſdam autem, & Tabes. *Hip.lib.III. Aph.*13.

Quibuſcumque Tabe laborantibus, capilli a capite defluunt, iis alvi profluvio ſuperveniente, moriuntur. *Hip. lib.V.Aph.*12.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, Febres longae, alvi profluvia, putredines, morbi Comitiales, & Apoplexiae, & Anginae: In ſiccitatibus autem Tabitudines, Lippitudines, Articulorum dolores, ſtillicidia urinae, & difficultates inteſtino-

norum. *Hip. lib.III. Aph.*16.

Qui Tabe molestantur, si sputum, quod extussiunt graveolet injectum carbonibus, & capilli a capite defluunt, lethale. *Hip. lib.V. Aph.*11.

Autumno vero plurimi aestivi morbi fiunt, & Febres Quartanae, & Erraticae, & Lienes, Aquae inter cutem, & Tabes, & Stillicidia urinae, & difficultates intestinorum, & laevitates intestinorum, & coxendicum dolores, & Anginae, & Asthmata, Volvuli, morbi Comitiales, Furores, Melancholiae. *Hip. lib.III. Aph.* 22.

Quibuscumque per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti sanguis niger per inferiora subsederit, postridie moriuntur. *Hip. lib.IV. Aph.* 33.

Victus tenuis, atque exquisitus in morbis quidem longis semper; In acutis vero, in quibus non convenit, periculosus. Et rursus, qui ad extremum devenit tenuitatis gravis est; nam & repletiones, quae ad extremum deveniunt, graves sunt. *Hip. lib.I. Aph.*4.

A pu-

A puris ſputo Phthiſis, & Fluxus: cum vero ſputum retinetur, moriuntur. *Hip. lib. VII. Aph.* 16.

Quibuſcumque ſuppuratio in corpore exiſtens, non innoteſcit, iis ob craſſitudinem puris, aut loci, non innoteſcit. *Hip. lib. VI. Aph.* 41.

Ex morbo diuturno, alvi defluxus, malum. *Hip. lib. VIII. Aph.* 5. ex additis in *lib. VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Lac dare caput dolentibus, malum; Malum vero, & Febricitantibus, & quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant, & ſiticuloſis: Malum autem, & quibus in febribus acutis bilioſae ſunt dejectiones, & quibus ſanguinis multi dejectio facta eſt. Convenit autem Tabidis dare, qui non valde multum febricitant, & in febribus longis, & parvis, ſi nullum ex ſupradictis ſignis affuerit, & praeter rationem conſumptis. *Hip. lib. V. Aph.* 64.

Quae ſecundum naturam ad Tabem diſpoſita ſunt, omnia quidem vehementia: quaedam vero, etiam lethalia. Secundum autem, ſi quidem in eo tempore aegrotet, cum tempus ipſum

una

una cum morbo impugnat, velut cum Febre ardente aestas, cum Hydrope hyems. Natura enim longe superior est: Lieni vero plus affert timoris. *Hip. lib. VIII. Aph.*8. ex additis in *lib.VII.*, ut ait Nicolaus Leonicenus.

Tabes maxime fiunt ab anno octavo decimo, usque ad quintum, & trigesimum. *Hip. lib.VIII.*, *Aph.* 7., ex additis in *lib.VII.*, ut ait Nicolaus Leonicenus.

Tabes fiunt praecipue aetatibus a decimo octavo, usque ad trigesimum quintum. *Hip. lib.V.*, *Aph.*9.

Tebe laborantibus, profluvium alvi superveniens, lethale. *Hip. lib.V. Aph.*14.

Tabidos vero per inferiora, caventes superiora. *Hip. lib.IV. Aph.*8.

Juvenibus autem Sanguinis spuitiones, Tabes, Febres acutae, Morbus comitialis, & alii, sed praecipue antedicti. *Hip. lib. III.*, *Aph.* 29.



Insigniores Aurelii Cornelii Celsi circa Tabem, & Phthisim breviter hic adnotantur sententiae.

QUi de Phthisi dubitant, an sit; hac nota utuntur: Quod excreatum est, si in ignem impositum mali odoris est. *Cornel. Cels. lib. III., cap. 22.*

Phthisis aetate firmissima maxime oritur, id est ab anno duodecimo, usque ad annum quintum, & trigesimum. *Cornel. Cels. lib. III., cap. 22.*

Lac, quod in capitis doloribus, & in acutis Febribus pro veneno est; In Phthisi tamen, sicut in omnibus longis, difficilibusque febriculis recte dari potest. *Cornel. Cels. lib. III., cap. 22.*



Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Tabem. & Phthiſim ſententiae proponuntur.

I. ACidulae nonniſi praeſervationis cauſſa adhibendae, ſed vide, ne largius, & frequentius ſumantur, nam omnia vitriolata pectori ſunt inimica. *Waldſchmidt.*

II. Nimius quoque Xaccharatorum uſus nocet, hinc magis placent deſtillata abſque Syrupis, & Xaccharo. *Waldſchmidt.*

III. *Balſamum Sulphuris aniſatum*, non ſolum non juvat, ſed quandoque Phthiſim facit. *VValdſchmidt.*

IV. *Decocta lignorum* conveniunt in principio, in progreſſu tutius *decoctum chinae cum herbis vulnerariis* datur. *Waldſchmidt.*

V. Fonticuli egregiam in principio morbi conferunt operam; in progreſſu

exic-

exiccando nocent. *Waldschmidt.*

VI. Vinum, & ira, penitus exulare jubeto. *Waldschmidt.*

VII. *Opiata* nonnisi in principio conveniunt. *Waldschmidt.*

VIII. Phthisici vitare debeant aërem austrinum, Vespertinum, nocturnum, loca subterranea, templa, transitus fluminis, &c. *Waldschmidt.*

IX. Lac qualecumque fuerit, non tam exulcerationis pulmonum, quam sanguinis acrimoniae praesentissimum est remedium. *Waldschmidt.*

X. Suffumigia, si unquam, profecto hic quammaxime necessaria, & proficua sunt, ut *gumm. animè*, *juniper.*, *haeder.*, *succin.*, *mastich.*, *tacamahac.*, *storac.* &c. *Waldschmidt.*

XI. Hic morbus fere semper in principio est ex stomacho (nisi fiat ex haemoptysi) hinc stomachica egregie juvant, ut *pul. stomachic.* cum *Sal. armoniac.* *Waldschmidt.*

XII. Purgantia quovis modo mutanda una cum Venae sectione, haec tamen locum habebit inter praeservantia. *Waldschmidt.*

XIII. Sanguis in pulmone ubi delitescens inevitabiles vitae struit insidias. *Waldschmidt*.

CAPUT VI.

De Pleuritide, & Peripneumonia.

PLeuritis valde affinis est Peripneumoniae, ita ut a quibusdam unus idemque morbus visus est, acutie solum differens: est itaque Pleuritis *Inflammatio pleurae, idest membranae succingentis interius costas*. Peripneumonia secundo, est *pulmonum inflammatio*: quemadmodum caeteris corporis partibus multoties accidit inflammatio, ita & pulmoni nonnunquam accidit, adeoque peripneumoniam parit, vulgo pulmoniā, a sanguine alicubi in illius substantia remoram patientē.

Acutorum morborum non omnino sunt certae praenunciationes, aut Salutis, aut Mortis. *Hip. lib. II. Aph.* 19.

Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur. *Hip. lib. II. Aph.* 23.

Qui-

Quicumque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ii ad ſuppurationem vertuntur. *Hip. lib.V. Aph.8.*

In acutis Morbis raro, & in principiis, Medicinis purgantibus uti convenit, & hoc cum praemeditatione faciendum. *Hip. lib.I. Aph.24.*

Dolores laterum, pectoris, & aliarum partium, ſi multum differant, ſunt conſiderandi, perdiſcendum. *Hip. lib. VI. Aph.5.*

Medicari in Valde acutis, ſi materia turget, eadem die: tardare enim in talibus, malum eſt. *Hip.lib.IV. Aph.10.*

Pleuritide, & Peripneumonia correpto, alvi profluvium adveniens malum. *Hip. lib.VI. Aph.16.*

Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.*Hip.lib.VI.Aph.33.*

A Morbo laterali, Inflammatio pulmonis malum. *Hiplib.VII. Aph.11.*

A Pulmonis inflammatione, Phrenitis malum. *Hip. lib. VII. Aph. 12.*

Victus tenuis, atque exquiſitus in Morbis quidem longis ſemper; in acutis vero in quibus non convenit, periculoſus. Et

rursus, qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis est; nam & repletiones, quae ad extremum deveniunt, graves sunt. *Hip. lib.I. Aph.*4.

Autumno morbi acutissimi, atque exitiales maxima ex parte. Ver autem saluberrimum, & minime exitiale. *Hip. lib.III. Aph.* 9.

Hyeme vero Morbi laterales, & Pulmonis inflammationes, Gravedines, & Raucedines, Tusses, dolores pectoris, laterum, lumborum, & Capitis Vertigines, & Apoplexiae. *Hip. lib.III. Aph.*23.

Ultra hanc aetatem progressis, Asthma, Morbi laterales, Pulmonis inflammationes, Lethargi, Phrenitides, Ardentes febres, Diuturna profluvia, Cholerae, Difficultates, & Laevitates intestinorum, Haemorrhoides. *Hip. lib. III. Aph.*30.

Quibuscumque per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti sanguis niger per inferiora subsederit, postridie moriuntur. *Hip. lib. IV. Aph.* 23.

Frigida qualis nix, & glacies, pectori inimica:

mica: Tusses movent, sanguinis profluvium, & destillationes. *Hip. lib.V. Aph.* 24.

In morbis acutis, frigus partium extremarum, malum. *Hip. lib.VII. Aph.*1.

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Pleuritidem, & Peripneumoniam sententiae proponuntur.

I. SAnguis venae sectione extractus, si statim abeat in coagulum, indicat venae sectionem aliquoties repetendam esse. *Waldschmidt*.

II. Peripneumonia plus periculi, quam doloris habet. *VValdschmidt*.

III. In Pleuritide maligna tutius est venae sectionem omittere, quamvis cogamur aliquid dare consuetudini. *Waldschmidt*.

IV. Sanguis, etsi saepius mittatur, semper tamen in parva quantitate erit extrahendus. *VValdschmidt*.

V. Pleuriticum fortiter purgare, est eum ma-

maximo exponere vitae periculo. *VValdſchmidt*.

VI. Potus Frigidus multos enecat, quos morbus vincere non potuiſſet. *VValdſc.*

VII. Omnia dyſenterica, ſunt etiam antipleuritica. *Waldſchmidt*.

VIII. Sudorifera mitiora utramque paginam complent; itaut multoties ſolum *antimonium diaphoreticum* pro curatione ſufficere poſſit. *Waldſchmidt*.

IX. Opiatis non admodum fido. *VValdſchmidt*.

X. De paracenteſi in quartam, & quintam coſtam multa dicuntur, ſed quis anceps hoc adhibebit remedium? *VValdſchm.*

Hippocratis praeſagiorum Liber primus.

UBi reſidere vult Aeger in ipſo morbi vigore, malum quidem indicium eſt in omnibus acutis affectibus, id, ſed longe peſſimum, pulmonibus laborantibus.

Ex manuum latione hujuſcemodi notas perpende in acutis febribus, in Peripneumonia, Phrenitide, capitis dolore,

ſi quis

ſi quis eas faciei admoverit, ut inde quidpiam ſupervacue venitur, aut feſtucas carpat, aut a veſte floccos, aut a pariete paleas avellat; Omnes hae malae, lethaleſque ſunt.

Spiritus frequens, aut doloris, aut inflammationis in partibus ſepto tranſverſo ſuperioribus indicium eſt: Magnus, & ex longis intervallis, delirium declarat: Frigidus ex naribus, & ore prodiens, lethalis admodum eſt.

CAPUT VII.

De Empyemate.

SAepenumero ex Pleuritide, aut Peripneumonia, oritur Empyema, ni ſuppuratus humor intra quatuordecim dies fuerit per anacatarſin excretus; Itaut in pectoris cavum ex dirupto apoſtemate dilapſus cujuſdam ponderis, & reſpirandi difficultatis cauſa eſt, comitantibus febre lenta, & ſenſibili corporis emaciatione. Eſt itaque Empyema: *Collectio puris in Thoracis cavo.*

Quibuſcumque ſuppuratio in corpore exiſtens non innoteſcit, iis ob craſsitudinem puris, aut loci non innoteſcit. *Hip. lib.VI. Aph.*41.

A puris Sputo Phthiſis, & fluxus: cum vero ſputum retinetur, moriuntur. *Hip. lib.VII. Aph.*16.

Ex morbo diuturno alvi defluxus, malum. *Hip. lib. VIII., Aph.* 5. ex additis in *lib.VII.*, ut ait Nicolaus Leonicenus.

Autumnus Tabidis malus. *Hip. lib. III.*, *Aph.*10.

Dum pus conficitur dolores, & Febres accidunt magis, quam jam confecto. *Hip. lib.II. Aph.*47.

Quae ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo ducere convenit. *Hip. lib.I., Aph.*21.

Quae longo tempore extenuata ſunt corpora, lente reficere oportet: quae vero brevi, breviter. *Hip. lib. II.*, *Aph.*7.

Quicumque morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio, & quicumque ex evacuatione, repletio: & aliorum contrarietas. *Hip. lib.II. Aph.*22.

Non pura corpora, quanto plus nutries, tanto magis laedes. *Hip. lib.II.*, *Aph.*10.

Vi-

Victus tenuis, atque exquiſitus in morbis quidem longis ſemper; in acutis vero, in quibus non convenit, periculoſus. Et rurſus, qui ad extremum devenerit tenuitatis, gravis eſt: Nam, & repletiones, quae ad extremum deveniunt, graves ſunt. *Hip. lib.I. Aph.*4.

Quicumque ſuppurati uruntur, vel ſecantur, ſi pus purum fluxerit, & album, evadunt; Si vero ſubcruentum, & foeculentum, ac foetidum, pereunt. *Hip. lib.VII., Aph.*44.

Quicumque ſuppurati, aut aquam inter cutem patientes uruntur, aut ſecantur, ſi pus, aut aqua univerſim fluxerit, omnes moriuntur. *Hip. lib.VI., Aph.*27.

Quicumque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur, a die, qua fit ruptio, liberantur, ſi vero non, ad Tabem tranſeunt. *Hip. lib.V., Aph.*15.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Empyema ſententiae proponuntur.

I. PAracenteſis, aut ſtatim, aut nunquam inſtituenda. *VValdſchmidt.*

II. De paracenteſi in quartam, & quintam coſtam multa dicuntur, ſed quis anceps hoc adhibebit remedium? *VValdſchm.*

III. Saniem pectori, aut pulmonibus incumbentem, feſtinanter educito. *Waldſchmidt.*

IV. Si Febris adſit, detur *antihectic.* Petri Poterii per plures dies. *VValdſchmidt.*

V. Quod ſi pus jam factum ſit, conveniunt *decocta* pectoralia, vulneraria, inter quae eminet *haedera terreſtris,* & *ſcabioſa. VValdſchmidt.*

VI. Cum ſanguis ſemel extravaſatus, ſtatim putredinem concipiat, videndum, ut ſive id factum fuerit a caſu ab alto, a contuſione, vel percuſſione, ſanguis mature diſcutiatur; Id quod egregie praeſtant *diuretica*, & ſi vires ferant

blan-

blandiora ſudorifera, ut lap. 69., Sanguis hirc. cum aceto, Flor. Sambuc., Aq:Cherefol., Spermat. Coet. &c. Waldſchmidt.

VII. *Antimonium diaphoreticum* eſt Empyematicorum ſolatium, ad ſcr.1. cum *floribus ſulphuris* dari debet. *Waldſchmidt.*

CAPUT VIII.

De Cordis palpitatione.

Motus ille cordis irregularis, ac inordinatus, & nimis vehemens, quo videtur a propria ſua ſede quaſi dimoveri, imo multoties tam violenter pectus percutitur, ut ſtrepitum edat, & imperceptibilem ſyſtolem, dyaſtolemque facit: hic autem inordinatus, ac inaequalis motus, *Palpitatio Cordis* a Practicis accuratioribus appellatur.

Qui frequenter, ac fortiter abſque cauſa manifeſta deficiunt animo, de repente moriuntur. *Hip. lib. II. Aph.* 41.

Qui natura admodum craſsi ſunt, citius intereunt, quam qui graciles. *Hip. lib. II. Aph.* 44.

Acu-

Acutorum morborum non omnino ſunt certae praenunciationes,aut Salutis,aut Mortis . *Hip. lib. II. Aph.* 19.

In morbis acutis frigus partium extremarum , malum . *Hip.lib.VII. Aph.*1.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Cordis palpitationem ſententiae proponuntur .

I. CLyſteres lenientes admodum conducunt . *VValdſchmidt* .

II. Purgantia fortiora nocent.*VValdſchm.*

III.In ipſo paroxyſmo venam ſecare licet, ſed vide,ne excedas in quanto.*VValdſ.*

IV.*Martialia* extra paroxyſmum caeteris omnibus palmam reddunt dubiam . *VValdſchmidt* .

V. *Crocus*, & *Theriaca* plus conferunt externe, quam interne ; *opium* plus interne , quam externe . *VValdſchmidt* .

VI. Qui ſcit curare paſsionem hyſtericam, ſcit etiam curare Cordis palpitationem . *VValdſchmidt* .

CA-

CAPUT IX.

De Syncope.

SYncope eſt: *Animi defectio, cum partium extremarum refrigeratione, & virium exolutione, in qua vitale robur imminuitur, vox, & ſenſus proſternuntur, ac omnino deficiunt*. Differt autem lipothymia a Syncope ex *Galeno I. de art.cur.ad Glauc.cap.*14. quod illa tamquam levior, hanc longe graviorem praecedat: unde imperfecta ſyncope appellatur.

Qui frequenter, ac fortiter, abſque cauſa manifeſta deficiunt animo, de repente moriuntur. *Hip. lib. II. Ap.* 41.

Extremis morbis, extrema exquiſite remedia optima ſunt. *Hip. lib.I., Aph.* 6.

Acutorum morborum non omnino ſunt certae praenunciationes, aut Salutis, aut Mortis. *Hip. lib.II., Aph.*19.

Qui natura admodum craſsi ſunt, citius intereunt, quam qui graciles. *Hip. lib. II. Aph.* 44.

In morbis acutis frigus partium extremarum

rum malum. *Hip. lib.VII., Aph.* 1.

A tuberculi introrſum ruptione, virium rejectio, vomitio, aut animi defectio fit. *Hip. lib.VII., Aph.* 8.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Syncopen ſententiae proponuntur.

I. ACida potentiora cum ſanguinem figant, merito ſuſpecta habentur, niſi quod externe levamen promittant. *VValdſchmidt*.

II. Fortiora remedia hic debent, *Purgantia,& diaphoretica* conveniunt. *VValdſ.*

III. Plethorae conjunctam Syncopen refocillatis ſpiritibus, Venae ſectione curato. *VValdſchmidt*.

IV. Deficienti ex alvi fluxu, faciem, ne frigida perfundito. *VValdſchmidt*.

CA-

CAPUT X.

De Singultu.

HIppocrates,Singultum ad genus convulſionis reducit; ita quoque & Galenus: Convulſio autem, ſeu convulſionis motio, propria muſculorum affectio eſt, ex ipſiuſmet Auctoris doctrina, haec enim convulſio ſine irritamento, licet interrupto, fieri non poteſt; ab hoc enim irritamento, motus percipitur moleſtus, & repetitur ad excutiendum id, quod partes illas vellicat, & compungit; itaut Practici omnes conveniunt, quod tam ſeptum transverſum, quam ventriculus compatiuntur in ſingultu.

Ex nimia purgatione convulſio, aut ſingultus ſuperveniens, malum. *Hip.lib.V. Aph.* 4.

Ubi ſanguis plurimus fluxerit, ſingultus, aut convulſio ſuperveniens, malum. *Hip. lib. V. Aph.* 3.

Convulſio fit, vel ex repletione, vel inanitione; ità vero & ſingultus. *Hip. lib.VI. Aph.* 39.

Si

Si Senioribus ſupra modum purgatis, Singultus ſupervenerit, non bonum. *Hip. lib.VII. Aph.* 41.

In Hepatis inflammatione Singultus, malum. *Hip. lib.VII. Aph.* 17.

Recto inteſtino, aut utero inflammationem patiente, urinae ſtillicidium accidit, & renibus purulentis urinae advenit ſtillicidium: Epati autem inflammationem patienti Singultus advenit. *Hip. lib.V. Aph.*58.

A Singultu correptum Sternutatio ſuperveniens, liberat. *Hip. lib.VI.*, *Aph.*13.

A Vomitu Singultus, & Oculorum rubor, malum. *Hip. lib.VII. Aph.*3.

Ab Ileo vomitus, Singultus, & deſipientia, vel convulſio, malum. *Hip.lib.VII.*, *Aph.*10.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Singultum ſententiae proponuntur.

I. SIngultus quidem leve quid videtur, aliquando tamen generoſa illudit re-

remedia, & multum Medico facessit. *VValdschmidt*.

II. Si sit sine febre convenit vomitorium, quia conjecturamus malum in orificio superiori haerere. *VValdschmidt*.

III. Fugienda sunt omnia frigida, acida, flatulenta, acria, & consequenter vinum quod nervis est inimicum; & pro regula sit, quod vinum in omnibus morbis nervinis spasmodicis, convulsivis non conveniat. Potus autem ordinarius potest esse *decoctum hordei* cum tantillo *cinnamomi*, vel galangae. *VValdschmidt*.

IV. Senibus Singultus familiaris est, & iis conveniunt, quae in Apoplexia commendantur, vel cephalica dicuntur, ut *omnia ambrata, Elixir vit.* Matthioli, *antiepileptica*, *antiapoplectica*, *&c.* *VValdschmidt*.

V. Ante omnia accurate inquirendum est, an febris continua Singultum continet, & an sit sine febre, si cum febre est certum est monstruosi quid latere, & subjectum non esse, tam ventriculum, quam diaphragma. Hinc nec vomitoria, nec purgantia tunc tuto vix dari pos-

posſint, quin potius exhibenda antiſpaſmodica, ut *cinnabarinum* aliquod cum *opio*, vel *tinct. bezoard.* cum *eſſent. caſtor.* Externe *theriaca* ſatisfaciet, cataplaſma ex *fermento* cum *theriaca*, & *ſpiritu theriacali caphurato*, qui vel ſolus pro inunctione ſufficere poteſt. *VValdſchmidt.*



NO-

NOVUS APHORISMORUM ORDO.

PARS TERTIA

De Morbis Abdominis, ſeu Regionis Naturalis.



Iſcera omnia, quae ſub diaphragmate, hoc eſt in Abdomine continentur, a ſuis quoque infeſtantur aegritudinibus, quae quidem quamplurimae ſunt, & magni momenti exiſtimandae.

CAPUT I.

De Cardialgia.

INter affectus praeternaturam ventriculi, CARDIALGIA primum ſibi vendicat locum; quod vocabulum licet proprie *cordis dolorem* ſignificat, attamen

men quia apud nostrates Practicos, etiam os ventriculi sinistrûm stomachum appellatum, ac universa ea Regio, quae a mucronata cartilagine, & costarum notharum extremitatibus circumscribitur, *cardia* appellatur: praeterquamquod maximus est consensus inter hoc ventriculi orificium, & ipsum cor, itaut illius dolor non semel synchopen induxit: est igitur Cardialgia, *morsus oris ventriculi*.

Qui frequenter, ac fortiter absque caussa manifesta deficiunt animo, de repente moriuntur. *Hip. lib.* II. *Aph.* 41.

Eum, qui non febricitat, cibi fastidium, morsus oris ventriculi, vertigo, & oris amaritudo, purgatione indigere per superiora significant. *Hip. lib. IV. Aph.* 17.

In Febribus circa ventriculum fortis aestus, & Cordis morsus, malum. *Hip. lib.IV. Aph.*65.

Qui natura admodum crassi sunt, citius intereunt, quam qui graciles. *Hip.lib.II. Aph.* 44.

In forti dolore ventris partium extremarum frigiditas, malum. *Hip. lib. VII. Aph.* 26.

Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Cardialgiam sententiae proponuntur.

I. IN humorali, vomitorium, caeteris paribus, propinari potest. *VValdsc.*

II. In humorali, *opiata* magis necessaria sunt, quam in flatulenta. *VValdschmidt.*

III. Nunquam praecipitantia sola sunt exhibenda, sed semper quid *aromatici* addendum, ut *lap.* 69, *fluviat.* cum gutta aliqua *ol. caryophyllor.*, *Specif. febril. Croll.* cum *ol. carvi, caryophyllorum, &c. VValdschmidt.*

IV. Paroxysmi febrium intermittentium saepius invadunt cum cardialgia, praesertim in Mulieribus. *VValdschmidt.*

V. Si subsit malignitas, exhibentur *lap. bezoard.* a gr. V., usque ad X., vel *pul. bezoard.* a gr. XV., usque ad scr. I. cum gr. uno, vel II. *theriac. Coelest. VValdsc.*

VI. Puto Cardialgiam optime dividi posse in Humoralem, & Flatulentam. *VValdschmidt.*

VII. In Flatulenta, Clyſteres magis ſunt proficui, quam emetica, purgantia, & abſorbentia. *VValdſchmidt*.

VIII. Inter carminativa placet mihi miſtura ex *Spirit. Sal. dulc.* & ex *Spirit. uniſor.* ad gtt. XX., vel XXX. ſumenda. *VValdſchmidt*.

IX. De medicamentis vi agitatoria praeditis idem hic notandum venit, quod moneri ſolet in Colica, nempe ab illorum uſu ſaepius anxietas augeatur. *VValdſchmidt*.

CAPUT II.

De Famis laeſionibus.

UBi fames laborandum non eſt. *Hip. lib. II. Aph.* 16.

Famem vini potio ſolvit. *Hip. lib. II. Aph.* 21.

Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam, quod modum Naturae exceſſerit, bonum. *Hip. lib. II. Aph.* 4.

Aeſtate, & Autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime, ſecundum locum Ver habet. *Hip. lib. I., Aph.* 18.

Se-

Senes facillime jejunium ferunt : ſecundo loco, qui aetatem conſiſtentem habent: minus Adoleſcentes ; omnium minime Pueri, praeſertim, qui inter ipſos ſunt vividiores. *Hip. lib.I. Aph.*13.

CAPUT III.

De Vomitu.

AEſtate autem nonnulli horum, & Febres Continuae, & Ardentes, & Tertianae febres, & Quartanae, & Vomitus, & Alvi profluvia, & Lippitudines oculorum, & Aurium dolores, & Oris ulcerationes, Genitalium putredines, & ſudores. *Hip. lib. III., Aph.* 21.

A Vomitu Singultus, & Oculorum rubor, malum. *Hip. lib.VII. Aph.*3.

Quicumque evomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem ſalutare ; ſi vero cum febre, malum. Curare vero acerbis, & refrigerantibus. *Hip. lib.VII. Aph.*37.

A Sanguinis Vomitu Tabes, & puris purgatio ſupra. *Hip. lib.VII. Aph.*80.

Vomentes vero difficulter, & mediocri-

ter carnoſos, per inferiora, caventes Aeſtatem. *Hip. lib.IV. Aph.7.*

In perturbationibus ventris, & vomibus ſpontinis, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & laeviter ferunt; Sin minus, contra. Sic & vaſorum inanitio, ſi talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant: ſin minus contra. Inſpicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & aetatem, & morbos, in quibus conveniat, aut non. *Hip. lib. I. Aph.2.*

In aetatibus autem talia contingunt: Parvis, & nuper natis Puerulis, oris ulcera (quae Aphthae vocantur) Vomitus, Tuſſes, Vigiliae, Pavores, Umbilici inflammationes, Aurium humiditates. *Hip, lib.III. Aph.24.*

Longo Alvi profluvio laboranti ſpontaneus Vomitus ſuperveniens, morbum ſolvit. *Hip. lib.VI. Aph.15.*

A Tuberculi introrſum ruptione, Virium dejectio, Vomitio, aut animi defectio fit. *Hip. lib.VII. Aph.8.*

Ab Ileo Vomitus, Singultus, Deſipientia, vel Convulcio, malum. *Hip. lib. VII. Aph. 10.*

In-

Insigniores Aurelii Cornelii Celsi circa Vomitum breviter hic aduotantur sententiae.

VOmitus Sincerae pituitae, vel bilis, periculosus, pejorque si viridis, aut niger est. *Cornel. Cels. lib.II. cap.*4.

Vomitus biliosus non voluntarius, vel protinus, aut percussus est aliquis, vel dum inflammatio manet, malum signum est in his dumtaxat, quoniam, vel nervi, vel etiam nervosi loci vulnerati sunt. *Cornel. Cels. lib.V. cap.*26.

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Vomitum sententiae proponuntur.

I. MInus tuti sunt, si pro comite habent Diarrhoeam. *VValdsch.*

II. Vomitus Puerperarum mature sistendi sunt, cum saepius illas ex insidiis

trucidant. *VValdſchmidt*.

III. In Morbi principio Vomitus facilius feruntur, & Medicum Spectatorem volunt, non Actorem. *VValdſchmidt*.

IV. Vomitus horis matutinis Aegrum vexantes non ſtatim *opiato*, vel *ſtyptico* ſunt ſiſtendi, quin potius cura ad cruditatem acidam, & hypochondriacam corrigendam dirigetur. *VValdſchmidt*.

V. In gravidarum Vomitionibus, nec opiata, nec adſtringentia conveniunt, cum totum negotium tutius ſoli naturae relinquetur. *VValdſchmidt*.

VI. Praeſente Diarrhoea nunquam Venae ſectio tentanda, multo minus praeſente Vomitu. *VValdſchmidt*.

VII. Uti in omnibus evacuationibus nihil praeſtantius datur, quam ſomnus, ita & in Vomitu cohibendo, ſaepius fert omne punctum, ſolo eo excepto caſu, ſi forte venenum fuerit aſſumptum. *VValdſchmidt*.

VIII. Si Vomitiones oriantur primario a ſpirituum ataxia, opiatum omnium eſt tutiſſimum; ſin vero praecedat dolor partis alicujus, renum, vel inteſtinorum, cura nequaquam eſt auſpicanda

da opiatis, ſed venae ſectione,enemate leniter evacuante. *VValdſchmidt*.

IX. In Vomitionibus ab emetico fortiori excitatis detur cochl. 1. *ſpir. vin.* hic enim in momento Vomitus compeſcit. *Waldſ.*

X. In hoc affectu Clyſteres nunquam excedere debent quantitate ſua unc. VIII. in Adultis, ne praecipitemus aegrum in Ileum. *VValdſchmidt*.

XI. In Vomitu cruento ex lienis obſtructione oriundo, vix dabitur praeſtantius remedium, quam vaſorum ſedalium apertio, ſive illa ope medicamentorum, ſive ſanguiſugarum applicatione inſtituatur. *VValdſchmidt*.

Hippocratis praeſagiorum Liber Secundus.

PErquam utilis eſt Vomitus, qui bilem pituitae mixtam habet, ſi neque craſſitie, neque multitudine admodum excedat: Nam ſincerae pituitae, biliſve, vomitus periculoſus eſt. Si vero lividus, aut viridis, aut niger eſt, quilibet horum colorum acciderit, vitioſus eſt; Si vero omnes affatim in eo-

dem

dem appareant, Mortis periculum valde timendum eſt. Si quidem foetores in quovis Vomitu, mali ſunt.

CAPUT IV.

De Affectione Hypochondriaca.

QUae longo tempore extenuata ſunt corpora, lente reficere oportet: quae vero brevi, breviter. *Hip. lib. II. Aph.* 7.

Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis laedes. *Hip. lib. II. Aph.* 10.

Quibuſcumque per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti ſanguis niger per inferiora ſubſederit, poſtridie moriuntur. *Hip. lib. IV. Aph.* 23.

Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Hypochondriacam affectionem sententiae proponuntur.

I. VEnae Salvatellae sectio omnibus creditur prodesse. *VValdschmidt.*

II. Alvus semper debet esse laxior. *VVald.*

III. Inter Hypochondriaca juvant acidulae: In Scorbuto confirmato, nocent, vel saltem sine periculo suaderi nequeunt. *VValdschmidt.*

IV. Omnes Hypochondriaci sunt flatulenti; Hinc admodum conducunt enemata. *VValdschmidt.*

V. Tempore Vernali semper exhibendum emeticum. *VValdschmidt.*

VI. Inter specifica laudant *Martialia*, omnia ex *pino*, omnia ex *sale armoniaco*, *arcan. duplicat.*, *elixir. antiscorbut.*, *tinctur. aperit.* Moembii. *VValdschmidt.*

VII. Omnes Scorbutici habent ventriculum debiliorem. *Waldschmidt.*

VIII.


VIII. Omnes Scorbutici bene ferunt *nervina*, *& antispasmodica*. *Waldschmidt*.

CAPUT V.

De Cholera Morbo.

CHoleram ab humore cholerico, seu bilioso dictam existimat Galenus. Nos autem nomine Cholerae intelligimus Morbum illum, in quo simul dejectio, & Vomitus Patientem torquent, ac insuper Ventris inflatio.

Ultra hanc aetatem progressis Asthma, Morbi laterales, Pulmonis inflammationes, Lethargi, Phrenitides, Ardentes febres, Diuturna profluvia, Cholerae, Difficultates, & Laevitates intestinorum, Haemorrhoides. *Hip.lib.III. Aph.* 30.



Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Choleram sententiae proponuntur.

I. HIc probe attendendum, an magna adsit humorum corruptorum saburra, & an vires satis maneant constantes; tunc etiam praestabit agere spectatorem quam actorem. *Waldsch.*

II. Tantopere hic Auctores commendant, *theriac. coelest.* cum *lapid.* 69. *bezoar. Waldschmidt.*

CAPUT VI.

De Lienteria, & Coeliaca passione.

INterdum plus justo solvitur alvus, & non solum excrementa, aut humores tam salutares, quam vitiosos, & corruptos, sed cibos indigestos, aut vix mutatos intempestive deponit; unde Lienteria, & Coeliaca affectio exoritur.

tur. Deſcribitur autem a Galeno, quod ſit: *velox exitus (per alvum) eorum, quae comeduntur, & bibuntur eo modo, quo ſunt aſſumpta*. Coeliaca vero paſſio eſt illa alvi fluxus ſpecies, in qua cibi parum mutati, vel jam in chylum converſi excernuntur.

Autumno vero plurimi aeſtivi morbi fiunt, & febres Quartanae, & Erraticae, & Lienes, Aquae inter cutem, & Tabes, & Stillicidia Urinae, & Difficultates inteſtinorum, & Laevitates inteſtinorum, & Coxendicum dolores, & Anginae, & Aſthmata, Volvuli, Morbi Comitiales, Furores, Melancoliae. *Hip. lib. III. Aph.* 22.

Quorum alvi inteſtinorum Laevitate laborant, hyberno tempore per ſuperiora purgari, malum. *Hip. lib. IV. Aph.* 12.

In longis laevitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus ſuperveniat, qui prius non erat, ſignum bonum. *Hip. lib. VI. Aph.* 1.

Quicumque Lienoſi a difficultate inteſtinorum capiuntur: iis ſupervenientem, longam difficultatem inteſtinorum, aqua intercus, aut Laevitas inteſtinorum excipit, & moriuntur. *Hip. lib. VI. Aph.* 43.

Qui-

Quibuscumque cruda infra dejiciuntur, atra bilis ineſt: Si Plura, major: ſi pauciora, minor eſt Morbus. *Hip. lib.VII. Aph.*70.

A Difficultate inteſtinorum, Laevitas inteſtinorum ſupervenit. *Hip. lib.VII. Aph.* 78.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Lienteriam, & Coeliacam paſſionem ſententiae proponuntur.

I. STomachica ſimpliciora, & paratu faciliora ſaepius plus praeſtant, quam compoſita, ut *Nux Myriſtica, Zingiber*, *Vitellus ovi* cum *aceto* coctus, *eſſentia abſynthii*, & omnia ex *Maſticha* parata. *Waldſchmidt*.

II. Purgantia aut plane hic ſunt omittenda, aut benigniora ſaltem eligenda. *VValdſchmidt*.

III. Cum non facile diſcerni poſſit, an ex defectu bilis, an ex obſtructione vaſorum

ſorum lacteorum, malum hoc foveatur conjungendae ſunt amara cum aperitivis, ut *eſſentia Abſynthii ad unc.* 11. *liq. martial.* ad gut. XXX. Optimus Martialis liquor fit quando ſublimentur flores Salis armoniaci cum Marte, quod tunc remanet, ſi reponatur in ollam abit in liquorem, qui vere *Liquor Martialis* eſt. *VValdſchmidt*.

CAPUT VII.

De Diarrhoea.

LIcet quilibet alvi fluxus generali Diarrhoeae nomine appellari poſsit; nihilo tamen minus Diarrhoea ſic apud Practicos deſcribitur: *omnium humorum, praeter ſanguinem, per alvum excretio*.

In perturbationibus ventris, & Vomitibus ſpontaneis, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & laeviter ferunt; ſin minus contra. Sic & vaſorum inanitio, ſi talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant: ſin minus contra. Inſpicere itaque oportet,

tet, & regionem, & tempus, & aetatem, & Morbos in quibus conveniat, aut non. *Hip. lib.I. Aph.*2.

Quae ducere oportet, quo maxime natura vergit, per loca conferentia, eo ducere convenit. *Hip. lib. I. Aph.*21.

Dejectiones non multitudine ſunt aeſtimandae, ſed ſi talia dejiciantur, qualia conveniunt, & Aegri facile tolerant. Atque, ubi uſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi Aeger poſſit tolerare. *Hip. lib.I. Aph.* 23.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile ferunt, ſi contra, difficulter. *Hip. lib. I. Aph.*25.

In profluviis alvi mutationes excrementorum juvant; niſi ad mala mutatio fiat. *Hip. lib.II. Aph.*14.

Eorum, quae univerſim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones. *Hip. lib.II. Aph.*18.

Plurimum, atque repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſive quovis alio modo corpus movere, periculoſum: omne enim nimium naturae inimicum: ſed quod paulatim fit, tutum eſt, cum alias, tum cum ab al-

tero,ad alterum transitus fit. *Hip.lib.II. Aph.* 51.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt,Febres longae, Alvi profluvia , Putredines , Morbi Comitiales, & Apoplexiae , & Anginae . In siccitatibus autem Tabitudines, Lippitudines, Articulorum dolores , Stillicidia urinae , & Difficultates intestinorum . *Hip. lib.III. Aph.*16.

Aestate autem nonnulli horum, & Febres continuae,& Ardentes,& Tertianae febres , & Quartanae , & Vomitus , & Alvi profluvia , & Lippitudines , Oculorum , & Aurium dolores, & Oris ulcerationes , Genitalium putredines , & sudores . *Hip. lib.III. Aph.*21.

Dolores ventris sublimes,leviores, qui vero non sublimes , fortiores . *Hip.lib.VI. Aph.*7.

Longo Alvi profluvio laboranti , spontaneus Vomitus superveniens , morbum solvit . *Hip. lib.VI. Aph.*15.

Balbi ab Alvi Profluvio maxime capiuntur . *Hip. lib. VI. Aph.*32.

Quibus in Alvi profluviis excrementa spumosa sunt , iis ex capite pituita defluit.

Hip.

*Hip. lib.VII. Aph.*30.

Ab Alvi profluvio, Difficultas inteſtinorum. *Hip. lib.VII. Aph.*77.

Senibus ſpirandi difficultates, Deſtillationes cum tuſſi, Urinae ſtillicidia, & difficultates, Articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexiae, habitus corporis depravatio, Pruritus totius corporis, Vigiliae; Alvi, Oculorum, & Narium humiditates, Viſus obtuſus, Glaucedines, Auditus graves. *Hip.lib.III. Aph.*31.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Diarrhoeam ſententiae proponuntur.

I. SUdores ſiſtunt Diarrhoeas. *VValdſchmidt.*

II. Fluentem alvum, modo conſtent vires, ante quartum diem, ne compeſcito. *VValdſchmidt.*

III. Diarrhoeae admodum periculoſae ſunt in morbis pectoris, infeſtae ſunt Puerperis, & Infantibus Febre maligna correptis.

 ptis.

ptis. *VValdſchmidt*.

IV. Saepius ex moerore oriuntur Diarrhoeae incurabiles ob turbatam Spirituum animalium craſim, & maximum a ſtatu naturali fermenti ſtomachici, & bilis receſſum; accedit Febris erratica, donec tandem Atrophia conſumpti intereant. *VValdſchmidt*.

V. Cave, ne curam ſtypticis inchoës: ſic enim introduces viſcerum contumaces, & inteſtinorum obſtructiones, quas ſequitur Hydrops. *VValdſchmidt*.

VI. Carnium eſus, nocet Alvi fluxu laborantibus. *VValdſchmidt*.

VII. Modice refrigerantibus praeſtabunt, ut *aq. hord.*, *C. C. &c.* *VValdſchmidt*.

VIII. Clyſteres in parva quantitate ſunt injiciendi, ſive inteſtina abſtergere, ſive illa confortare velis. *VValdſchmidt*.

IX. De Venae Sectione lis movetur, dico tamen, quod ſi recrementa fermenteſcibilia ex ſanguine deponantur in inteſtina, & Febris accedet, licere venam ſecare. *VValdſchmidt*.

X. Si Diarrhoea pro comite Vomitum habeat, minus tuta exiſtimatur. *VValdſchmidt*.

XI.

XI. Praeſente Diarrhoea nunquam venae ſectio tentanda, multo minus praeſente vomitu. *VValdſchmidt*.

Uno die fluere alvum ſaepe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, dum Febris abſit, & intra ſeptimum diem conquieſcat: Purgatur enim corpus, & quod intus laeſurum erat utiliter effunditur. *Cornel. Celſ. lib.IV. cap.9.*

CAPUT VIII.

De Dyſenteria.

DEſcribitur ex Fernelio, quod ſit: *Cruenta alvi dejectio cum dolore, & torſione*: multoties vero pauca mucoſa quaedam, & ſanguine tincta excernuntur cum dolore ani, & frequenti, inanique dejiciendi deſiderio.

Difficultatem inteſtinorum habenti, ſi veluti carunculae dejiciantur, lethale eſt. *Hip. lib.IV. Aph.26.*

In longis Difficultatibus inteſtinorum cibi faſtidium, malum, & cum Febre, pejus. *Hip. lib. VI. Aph.3.*

Dolores ventris ſublimes, leviores, qui

vero non ſublimes , fortiores . *Hip. lib.VI. Aph.*7.

Longo alvi profluvio laboranti , ſpontaneus Vomitus ſuperveniens , morbum ſolvit . *Hip. lib.VI. Aph.*15.

Lenoſis Difficultas inteſtinorum ſuperveniens , bonum . *Hip. lib.VI. Aph.*48.

A dejectione ſincera, Difficultas inteſtinorum , malum . *Hip. lib.VII. Aph.*23.

Ab Alvi profluvio Difficultas inteſtinorum . *Hip. lib.VII. Aph.*77.

A Difficultate inteſtinorum , Laevitas inteſtinorum ſupervenit . *Hip. lib.VII. Aph.*78.

In Profluviis alvi mutationes excrementorum juvant , niſi ad mala mutatio fiat . *Hip. lib.II. Aph.*14.

De Temporibus : Siquidem Hyems ſicca, & Aquilonia fuerit, Ver autem pluvioſum , & Auſtrale , neceſſe eſt aeſtate Febres acutas fieri , & Lippitudines , & Inteſtinorum difficultates , praecipue vero Mulieribus , & Viris , qui natura ſunt humidiores . *Hip. lib.III. Aph.*11.

Atuumno vero plurimi aeſtivi morbi ſunt , & Febres Quartanae , & Erraticae , & Lienes , aquae inter cutem , & Ta-

Tabes, & Stillicidia urinae, & Difficul-
tates inteſtinorum, & Laevitates inteſti-
norum, & Coxendicum dolores, & An-
ginae, & Aſthmata, Volvuli, Morbi
Comitiales, Furores, Melancholiae.
*Hip. lib.III. Aph.*22.

Aeſtate autem nonnulli horum, & Fe-
bres continuae, & Ardentes, & Tertia-
nae febres, & Quartanae, & Vomitus,
& Alvi profluvia, & Lippitudines, Ocu-
lorum, & Aurium dolores, & Oris ul-
cerationes, Genitalium putredines, &
Sudores. *Hip. lib.III. Aph.* 21.

Difficultas inteſtinorum, ſi ab atra bile
incoeperit, laethalis eſt. *Hip. lib. IV.
Aph.* 24.

Quicumque Lienoſi a Difficultate inteſti-
norum capiuntur: iis ſupervenientem
longam Difficultatem inteſtinorum,
aqua intercus, aut laevitas inteſtino-
rum excipit, & moriuntur. *Hip. lib.VI.
Aph.*43.

Morbi in pluviarum multitudine magna
ex parte fiunt, Febres longae, Alvi
profluvia, Putredines, Morbi Comitia-
les, & Apoplexiae, & Anginae. In Sic-
citatibus autem Tabitudines, Lippitu-

dines, Articulorum dolores, *Stillicidia* urinae, & Difficultates inteſtinorum. *Hip. lib.III. Aph.*16.

Ultra hanc aetatem progreſſis, Aſthma, Morbi laterales, Pulmonis inflammationes, Lethargi, Phrenitides, Ardentes Febres, Diuturna profluvia, Cholerae, Difficultates, & Levitates inteſtinorum, Haemorrhoides. *Hip.lib.III. Aph.*30.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Dyſenteriam ſententiae proponuntur.

I. IN hoc morbo multum, non multa a Medico ſunt praeſcribenda. *VVal.*

II. Inteſtinorum Ulcera ſuperiorum aſſumptis, inferiorum autem injectis curato. *VValdſchmidt.*

III. Enemata parcius, & rarius injici debent. *VValdſchmidt.*

IV. Adſtringentia eam exerunt noxam, quam foris ab illis experimur in eryſipelate, & inflammatione. *VValdſchm.*

V.

V. Dyſenteria ex contagio ſuborta, nunquam ſine febre obſervatur. *VValdſch.*

VI. Egregie prodeſt primis diebus *ſerum lactis*, ſi poſthabitis purgationibus loco clyſteris injiciatur. *VValdſchmidt*.

VII. Vomitorium locum habere poteſt, ſi Dyſenteria fuerit introducta ab aſſumptis, & malum adhuc ſit recentiſſimum. *VValdſchmidt*.

VIII. De purgantibus ita ſentio: ſi non licet purgare in hypercatharſi, non licet purgare in Dyſenteria, atque ubi periculoſa evacuatio, & purgatio. *VValdſchmidt*.

IX. In Dyſenteria nulla agnoſcimus inteſtinorum ulcera, ceu cauſſam morbi; Spaſmus eſt, qui ſanguinem e vaſis elutriat, vel extorquet; ex hac continua irritatione oritur inflammatio, & tandem grangraena, ſicque inteſtina poſt mortem apparent exulcerata, quod phoenomenon haud eſt cauſſa morbi, ſed productum. *VValdſchmidt*.

CAPUT IX.

De Colica, & Iliaca passione.

MUltoties inteſtina acerrime dolent, atque retentis una ſimul foecibus, & alvo conſtipata nimis, itaut acerbiſſimis cruciatibus conflictentur Aegri, atque haec affectio *Colicam* paſſionem appellant Practici; Si vero acerbum hunc dolorem ani totalis ſequatur occluſio, ut foeces nullo pacto interne ejiciantur, dicitur *Affectio Iliaca*, *Volvulus*, a Graecis *Cordapſon*, atq: a Barbaris *Miſerere mei*, etenim talibus contorquentur intenſiſſimis cruciatibus, ut potius per os ſtercus erumpat, quam infra tranſmittatur.

Autumno vero plurimi aeſtivi morbi fiunt, & Febres Quartanae, & Erraticae, & Lienes, Aquae intercutem, & Tabes, & Stillicidia urinae, & Difficultates inteſtinorum, & Laevitates inteſtinorum, & Coxendicum dolores, & Anginae, & Aſthmata, Volvuli,

Mor-

Morbi Comitiales, Furores, Melancholiae. *Hip. lib.III. Aph.*22.

Ab Ileo, Vomitus, Singultus, Deſipientia, vel Convulſio, malum. *Hip.lib.VII. Aph.*10.

Quibus adſunt tormina, & circa umbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque a medicamento, neque aliter ſolvitur, Hydrops ſiccus contrahitur. *Hip. lib.IV. Aph.*11.

Quibus ex Stillicidio urinae, Ileos ſupervenerit, in ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperveniente ſatis urina fluxerit. *Hip. lib.VI. Aph.*44.

Ultra hanc aetatem progreſſis, Aſthma, Morbi laterales, Pulmonis inflammationes, Lethargi, Phrenitides, Ardentes febres, Diuturna profluvia, Cholerae, Difficultates, & Laevitates inteſtinorum, Haemorrhoides. *Hip. lib. III. Aph.* 30.



Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Colicam, & Iliacam affectionem sententiae proponuntur.

I. CLysteres in dolore Colico, tum ex oleosis, tum ex carminativis paratos pluries in die praescribito. *VVald.*

II. Carminativa optime miscentur cum opiatis. *VValdschmidt.*

III. Colicae Antidotum est *Camomilla* ex quacumque etiam orta fuerit caussa. *VValdschmidt.*

IV. Omnia frigida intestinis sunt inimica. *VValdschmidt.*

V. Colica ex vino acido oriunda, solis sudoriferis, anodinis interpositis, curatur. *VValdschmidt.*

VI. Clysteres antimoniales in nullo morbo adeo efficaces sunt, quam in Colica. *VValdschmidt.*

VII. Si purgans exhibere velis, ea detur dosi, ut satis fortis sit ad alvum moven-

vendum. *VValdschmidt.*

VIII. Iliaci instar Puerperarum sunt tractandi, hinc frigida intestinis inimica: Omnis itaque potus debet esse calidus, & victus nonnisi tenuis. *VValdschmidt.*

IX. Antequam globulus deglutietur, praemitti debet haustus olei *olivarum*, *amygdalarum dulcium*, *vel lini*. *Wald.*

X. Qui plures Clysteres in una hora Iliacis applicari jubent, quammaxime aberrant. *Waldschmidt.*

CAPUT X.

De Cachexia, & Hydrope.

EA corporis habitudo, in qua ob pravum nutrimentum color cutis universae, & praesertim faciei, a naturali colore declinat, nempe pallet, flavet, vel in fuscum vertitur, imo aliquando impetiginibus etiam, crustisque inficitur *Cachexia* a Practicis appellatur. Hæc autem mala corporis habitudo, facile in Hydropem transit. Dicitur autem Hydrops humorum serosorum una, vel pluribus corporis partibus collectio,

lectio, itaut Latini *Aquam inter cutem* appellarunt; haec aquae collectio si sit universalis dicitur *Anasarcha*, vel *Leucophlegmatia*, si particularis, nomen desumit a parte affecta, etenim si Caput infestat dicitur *hydrocephalus*, si Scrotum, *hydrocoele*, si infimum occupat ventrem *Ascites* appellatur, &c.

Non pura corpora, quanto plus nutries, tanto magis laedes. *Hip. lib.II. Aph.*10.

Facilius est impleri potu, quam cibis. *Hip. lib. II. Aph.*11.

Quicumque morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio, & quicumque ex evacuatione, repletio: & aliorum contrarietas. *Hip. lib.II. Aph.*22.

Autumno vero plurimi aestivi morbi fiunt, & Febres Quartanae, & Erraticae, & Lienes, Aquae intercutem, & Tabes, & Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum, & Laevitates intestinorum, & Coxendicum dolores, & Anginae, & Asthmata, Volvuli, Morbi Comitiales, Furores, Melancholiae. *Hip. lib.III. Aph.*22.

Aqua intercute laborantibus, ulcera in corpore facta, difficulter sanantur. *Hip. lib.VI. Aph.*8.

Hy-

Hydrope correpto, ſi aqua e venis in ventrem defluxerit, ſolvitur morbus. *Hip. lib.VI. Aph.* 14.

Quicumque Suppurati, aut Aquam inter cutem patientes uruntur, aut ſecantur, ſi pus, aut aqua univerſim fluxerit, omnes moriuntur. *Hip. lib.VI. Aph.* 27.

Aqua intercute laborantibus, Tuſſis superveniens, malum. *Hip. lib.VI. Aph.* 35.

Aqua intercutem laborans, ſi Tuſſis corripiatur, deſperatus eſt. *Hip. lib.VII. Aph.* 47.

Quibus adſunt tormina, & circa umbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque a medicamento, neque aliter ſolvitur, Hydrops ſiccus contrahitur. *Hip. lib.IV. Aph.* 11.

Quibuſcumque per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti ſanguis niger per inferiora ſubſederit, poſtridie moriuntur. *Hip. lib.IV. Aph.* 23.

A diuturnis ſano haemorrhoidibus, ſi una non ſervatur, periculum eſt Aquam inter cutem, vel Tabem advenire. *Hip. lib.VI. Aph.* 12.

Ei,

Ei, qui Leucophlegmatia detinetur, si fortis ventris fluxus supervenerit, a morbo liberatur. *Hip. lib.VII. Aph.*29.

A pituita alba, Aqua inter cutem supervenit. *Hip. lib.VII. Aph.*76.

Insigniores Aurelii Cornelii Celsi circa Hydropem breviter hic adnotantur sententiae.

I. HYdropicis Alvum moliri cibo, melius est, quam medicamento. *Cornel. Cels. lib.III. cap.*21.

II. Non alienum erit metiri potionem Hydropici, & urinam; Nam si plus humoris excernitur, quam assumitur, ita demum secundae valetudinis spes est. *Cornel. Cels. lib. III. cap.*21.

III. Ubi convaluit aliquis (ex hydrope) diu tamen alienus ei veneris usus sit. *Cornel. Cels. lib.III. cap.*21.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Hydropem ſententiae proponuntur.

I. CAchectici quo lenius purgantibus tractantur, eo citius curantur. *Waldſchmidt*.

II. In Cachexia rarius, in Hydrope confirmato ſaepius purgandum. *Waldſchmidt.*

III. Si una purgatio pro voto ſuccedat, brevi inſtituantur plures, alias inducias concedendo, morbo nunquam pacem ſperare licebit. *Waldſchmidt*.

IV. Quo major adeſt copia aquae, eo fortiter poterit eſſe purgatio, ut infuſum *croci metallor.. Syrup. de ſpin. cervin., decoct. cortic. interior. Sambuc., reſin. jalap., pulver. radic. ejuſdem, &c. Waldſchmidt*.

V. Verum ſi hydrops ſequatur Phthiſin, aut labem alicujus viſceris, aut perverſam lues venereae curam, aut cancroſam ſanguinis diatheſin; omnia no-

cent cathartica, & tali in casu juvant diuretica, praesertim in sexu foemineo, qui purgantia ratione uteri non bene fert, & quod caput rei est, iter susceptum, & aëris mutatio. *Waldschmidt*.

VI. Aut fortiter purgandum, aut non purgandum, lenientium enim usum semper insequitur major pedum intumescentia. *Waldschmidt*.

VII. Quamvis vinum in pluribus noceat morbis hydropicis, tamen salutare est, quia fermentum vitale restaurat, & sanguini robur addit. *Waldschmidt*.

VIII. Omnia frigida & aquosa nocent. *Waldschmidt*.

IX. Venae sectio ceu pestis fugienda: scarificationem profuisse novimus, sed credimus non fuisse veram Ascitem, sed Anasarcam. *Waldschmidt*.

X. Uti in Phthisi quandoque plus praestant remedia vulgaria, ita hoc quoque in morbo saepius, *absynthinea*, *sambucina*, *ebulina*, *juniperina*, omnibus caeteris palmam praeripiunt. *Waldschmidt*.

CA-

CAPUT XI.

De Ictero.

MOrbus Icterus ita dictus ab Ave quodam Ictero, quem inſpicientes Icterici ſanantur, ut refert *Plinius in libro* 3. Icterus morbus, quem & Regium, Arquatum, & Auriginoſum ob aureum colorem, appellant, adeo facilis eſt cognitu, ut primo, ſoloque intuitu cuilibet pateat, & qui hoc vitio tenentur totam cutim, imo & album oculorum flaveſcente colore perfuſum habent; nonnunquam vero univerſum corpus nigro, vel viridi colore conſpurcatur, & dicitur Icterus Niger, vel Viridis.

Qui Regio morbo laborant, non multum ventoſi ſunt. *Hip. lib.V. Aph.*72.

Morbo Regio laborantibus ſi fiat epar durum, malum. *Hip. lib.VI. Aph.*42.

Quibus in febribus morbus Regius ſeptimo, vel nono, vel undecimo, vel quartodecimo ſupervenerit, bonum; niſi dextrum hypochondrium obduruerit;

ſi vero non, non bonum. *Hip. lib. IV. Aph.64.*

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Icterum ſententiae proponuntur.

I. PEriculoſum etiam eſt; poſt arquatum morbum febrem oriri. *Waldſchmidt.*

II. Omnes Icterici facile fiunt calculoſi, & e converſo. *Waldſchmidt.*

III. Icterus ſine febre facilius curatur, quam ſi ſit cum febre, & corporis atrophia. *Waldſchmidt.*

IV. Vomitorium hic admodum neceſſarium eſt ad fermentum elutriandum, quo praemiſſo detur ter de die aquae contra Icterum Thimaei ad *IV.* cochlearia ſingulis doſibus addendo *gutt. XXIV.* circiter *tinct. mart. Waldſchmidt.*

CA-

CAPUT XII.

De Nephritide.

NEphri apud Graecos, & Renes apud Latinos idem ſunt: quapropter omnem Renum morbum Practici nonnulli, Nephritidis nomine appellarunt, verum late nimis: etenim Nephritis rigore vocabuli tantum Renum inflammationem ſignificat, ut Pleuritis, Epatitis, Nephritis &c. A communi autem Practicorum voto receptum eſt Renum dolores, quibus frequentiſſime vexantur, *Nephritidis* nomine appellare.

Renum & Veſicae vitia in Senioribus difficulter ſanantur. *Hip. lib.VI. Aph.*6.

Melancholia, & Nephritide laborantibus, haemorrhoides ſupervenientes, bonum. *Hip. lib..VI. Aph.* 11.

Dolores Laterum, Pectoris, & aliarum partium, ſi multum differant ſunt conſiderandi, perdiſcendum. *Hip. lib. VI. Aph.* 5.

Quibus autem morbo renali laborantibus praedicta accidunt ſigna, doloreſque

circa ſpinae muſculos fiunt: Siquidem circa loca exteriora fiant, abſceſſus quoque exterius futuros expecta: Si vero dolores, magis circa loca interiora fiant, etiam abſceſſus expecta futuros interius. *Hip. lib.VII. Aph.*36.

Quibus in urinarum ſummo bullae inſident, morbum renalem, & longum ſignificant. *Hip. lib. VII. Aph.* 34.

Quibus autem ſummum eſt pingue, & confertum, iis renum dolor, & morbus eſſe acutus ſignificatur. *Hip. lib. VII. Aph.* 35.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Nephritidem ſententiae proponuntur.

I. OMnia *amara* Nephriticis conducunt. *VValdſchmidt*.

II. Omnia *laxativa*, & *anodina*, quae hypochondriacos juvant, juvant etiam Nephriticos. *VValdſchmidt*.

III. Semper eo annitendum, ut alvus ſit lubrica, tum in paroxyſmo, tum extra

tra paroxyſmum. *VValdſchmidt*.

IV. Fortiora diuretica noceant. *VValdſch.*

V. Si Renum adſit exulceratio, vitanda ſunt diuretica, terebinthina vero quammaxime conducit. *VValdſchmidt*.

VI. Omnia carminativa proſunt Nephriticis, praeſertim ex camomilla parata: Hinc, quae proſunt Colicis, proſunt etiam Nephriticis. *Waldſchmidt*.

VII. In his morbis ſemper ventriculi ratio habenda eſt. *VValdſchmidt*.

VIII. Egregie a calculo praeſervat quotidianus herbae Thè uſus. *VValdſchmidt*.

IX. Praeſervationis cauſſa exhibendum eſt Vomitorium tempore Vernali, vel etiam Autumnali. *VValdſchmidt*.

X. Si in calculo Veſicae *cyſtotomiam* inſtruere velis ſequere methodum famoſi iſtius Cyſtotomi Galli, qui ſine ullo aliquo apparatu, & remediorum uſu Sectionem inſtituit cultello falcato ad latus perinaei ſequens ſitus fibrarum, & exiguum ſaltem vulnus infligens, ſi prius Aeger pauliſper ambulaverit, quem inſidere jubet in ſinu Famuli ſine ulla ligatura: poſt indit duos digitos in podicem, & calculum ſine ulla vi ſen-

ſim protrudit ex Veſica in collum, quo facto Cyſtotomiam inſtituit, & Aegrum ſpatio ſeptem dierum priſtinae reddit valetudini, exempto calculo, collum Veſicae retrudit, & ſic impedit fluxum Urinae per vulnus. *VValdſchmidt.*

CAPUT XIII.

De Lithiaſi.

Lithos latine lapidem, vel calculum, ſonat, quamobrem omnis lapidis in quacumque humani corporis parte concretionem, Lithiaſis dicitur.

Quibus autem morbo Renali laborantibus, praedicta accidunt ſigna, doloreſque circa ſpinae muſculos fiunt: ſiquidem circa loca exteriora fiant, abſceſſus quoque exterius futuros expecta: ſi vero dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abſceſſus expecta futuros interius. *Hip. lib.VII., Aph.36.*

Renum, & Veſicae vitia in Senioribus difficulter ſanantur. *Hip. lib.VI. Aph.6.*

Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Lithiaſim ſententiae proponuntur.

I. OMnes calculoſi facile fiunt Icterici, & e converſo. *VValdſchmidt.*

II. Egregie a calculo praeſervat,' quotidianus herbae Thè uſus. *VValdſchm.*

III. Si in calculo Veſicae *cyſtotomiam* inſtituere velis ſequere methodum famoſi iſtius Cyſtotomi Galli, qui ſine ullo aliquo apparatu, & remediorum uſu Sectionem inſtituit cultello falcato ad latus perinaei ſequens ſitus fibrarum, & exiguum ſaltem vulnus infligens, ſi prius Aeger pauliſper ambulaverit, quem inſidere jubet in ſinu famuli ſine ulla ligatura: poſt indit duos digitos in podicem, & calculum ſine ulla vi ſenſim protrudit ex Veſica in collum, quo facto Cyſtotomiam inſtituit, & Aegrum ſpatio ſeptem dierum priſtinae reddit valetudini, exempto calculo, collum Veſicae retrudit, & ſic impe-

dit

dit flluxum Urinae per vulnus. *VVald.*
IV. Praeſervationis cauſa exhibendum eſt Vomitorium tempore Vernali, vel etiam Autumnali. *Waldſchmidt.*

CAPUT XIV.

De Arthritide.

A Graecis, articulorum dolor Arthritis appellatur. Nonnunquam Arthritidem ſumunt Practici pro cujuſvis articuli dolore, tunc enim cum Podagra, Iſciade, Chiragra &c. quammaxime confunditur.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, Febres longae, Alvi profluvia, Putredines, Morbi comitiales, & Apoplexiae, & Anginae. In Siccitatibus autem, Tabitudines, Lippitudines, Articulorum dolores, Stillicidia urinae, & Difficultates inteſtinorum. *Hip. lib. III. Aph.* 16.

Vere etenim Furores, & Morbi melancholici, & Comitiales, & Profluvia ſanguinis, & Anginae, & Gravedines, & Raucedi-

dines, & Leprae, & Tusses, & Impetigines, & Vitiligines, & Pustulae ulcerosae plurimae, & Tubercula, & Articulorum dolores. *Hip. lib.III. Aph.* 20.

Senibus spirandi difficultates, Destillationes cum tussi, Urinae stillicidia, & Difficultates, Articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexiae, Habitus corporis depravatio, Pruritus totius corporis, Vigiliae; Alvi, Oculorum, & Narium humiditates, Visus obtusus, Glaucedines, Auditus graves. *Hip. lib.III. Aph.*31.

Quibus tubercula, vel in Articulis labores, ex febribus accidunt, ii pleniore utuntur cibo. *Hip. lib.IV. Aph.*45.

Tumores Articulorum atq;dolores absque ulcere, Podagras, ac Convulsiones, horum plurima frigida aqua large effusa levat, & extenuat, solvitque dolorem, nam modicus torpor dolorem solvit. *Hip.lib. V. Aph.* 25.

Quibuscumque tubercula diutina, aut in Articulos dolores ex febre decumbunt: ii cibo pleniore utuntur. *Hip. lib. VII. Aph.*66.

Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Arthritidem ſententiae proponuntur.

I. F*Onticuli* quo numero plures, eo efficaciores, quia eſt Morbus articulorum. *Waldſchmidt.*

II. *Lac* eſt unicum Arthriticorum ſolatium. *VValdſchmidt.*

III. *Amara*, & *Stomachica* tantopere conferuntur. *VValdſchmidt.*

IV. Arthritici tandem fiunt Hidropici. *VValdſchmidt.*

V. *Diuretica* conveniunt. *VValdſchmidt.*

VI. *Vinum* exuletur, & pro potu ordinario commendatur *tinctura Sarſaeparillae, Enul., Chamaed., Chamaepith. VValdſchmidt.*

VII. Totius curae negotium conſiſtit in accuratiſſima dieta quoad ſex res naturales: omnia medicamenta, exceptis ſtomachicis, vilipendo. *VValdſchmidt.*

VIII. *Vomitus* quidni proderit Arthriticis, cum malum hoc radices ſuas habeat

beat in depravata digeſtione. *VValdſc.*
IX. *Purgantia* conveniunt. *VValdſchmidt.*
X. Praeſervatoria ſemper danda ante aequinoctia, & Solſtitia. *VValdſchmidt.*
XI. Externe juvant cataplaſmata ex *beccabunca*, *ſapone*, *Stercore Vaccino*, & *Lumbricis*. *VValdſchmidt.*

CAPUT XV.

De Diabete, & Urinae incontinentia.

GAlenus VI. de locis affectis 3. ait, Diabetem eſſe celerem exitum potus non mutati per urinam, cum ſcilicet ea mingunt Aegroti, quae potaverint: Quare ipſe Galenus affirmat eodem fere modo ſe habere Diabetem reſpectu potus, quam Lienteria reſpectu cibi. Nichilo tamen minus pro Diabete ſumunt Practici quodlibet urinae profluvium cum ſcilicet ejus quantitas potulentae materiae, quantitatem longe ſuperat, unde dicitur quoque *hydrops ad matulam*, *Diarrhaea Urinae*, & *Dyſpachos* ob vehementem ſitim, quam habet conjun-

junctam : tanta autem solet esse urinae copia, ut non solum potum admodum excedat, sed etiam libras viginti, triginta, quadraginta, & amplius in singulos dies aequet, quemadmodum de Puerula quadam refert Cardanus *lib. VIII. de rer. variet.*, *cap.* 44. Incontinentia autem Urinae alius est morbus, cum scilicet Urina in propria Vesica contineri non potest, ut debito tempore egeratur, idque potissimum Pueris in somniis, & Senibus contingit.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, Febres longae, Alvi profluvia, Putredines, Morbi Comitiales, & Apoplexiae, & Anginae. In siccitatibus autem Tabitudines, Lippitudines, Articulorum dolores, Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum. *Hip. lib. III. Aph.* 16.

Autumno vero plurimi aestivi morbi fiunt, & Febres quartanae, & Erraticae, & Lienes, Aquae inter cutem, & Tabes, & Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum, & Laevitas intestinorum, & Coxendicum dolores, & Anginae, & Asthmata, & Volvuli, mor-

morbi Comitiales, Furores, Melancholiae. *Hip. lib. III. Aph.*22.

CAPUT XVI.

De Ischuria, Stranguria, & Dysuria.

QUando aliquis omnimode urinam non emittat, is *Ischuria* laborare dicitur; id enim duplici ex caussa accidere potest, vel ob Vesicae languorem, itaut nequeat urinam propellere, vel ob ipsiusmet Vesicae meatus angustiam, ac opplationem. Si illam guttatim mingat cum nisu vehementi, & conatu, *Stranguria*, seu *Urinae Stillicidium* appellatur; Dein vero, si in mingendo summam habet difficultatem, dicitur *Dysuria*.

Urinae stillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, & venae sectio solvit, incidere autem interiores. *Hip. lib. VII. Aph.*48.

Si Sanguinem, & pus mingat, & Squamulas, & gravis odor adsit, vesicae exulcerationem significat. *Hip. lib. IV. Aph.*81.

Si Sanguinem mingant, & grumos, & Stillicidium urinae habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & interfoemineum, ad veſicam labor eſt. *Hip. lib. IV. Aph.*80.

Senibus ſpirandi difficultates, Deſtillationes cum tuſſi, Urinae ſtillicidia, & Difficultates, Articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexiae, Habitus corporis depravatio, Pruritus totius corporis, Vigiliae; Alvi, Oculorum, & Narium humiditates, Viſus obtuſus, Glaucedines, Auditus graves. *Hip. lib. III. Aph.*31.

Difficultatem urinae vena ſecta juvat; ſecare vero interiores. *Hip. lib. VI. Aph.*36.

Quibus ex Stillicidio urinae, Ileos ſupervenerit, in ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperveniente ſatis urina fluxerit. *Hip. lib. VI. Aph.*44.

Si quis ſanguinem minxerit, & grumos, & Stillicidio urinae laboret, & dolor inciderit in imum ventrem, pectinem, & ad anum: circa veſicam morbus eſſe ſignificatur. *Hip. lib. VII., Aph.*39.

Si Sanguinem, & pus mingat, renum, aut veſicae exulcerationem ſignificat. *Hip. lib. IV., Aph.*75.

Sen-

Senibus Spirandi difficultates, Destillationes cum tussi, Urinae stillicidia, & Difficultates, Articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexiae, Habitus corporis depravatio, Pruritus totius corporis, Vigiliae; Alvi, Oculorum, & Narium humiditates, Visus obtusus, Glaucedines, Auditus graves. *Hip.li.III. Aph.* 31.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, Febres longae, Alvi profluvia, Putredines, Morbi comitiales, & Apoplexiae, & Anginae. In Siccitatibus autem Tabitudines, Lippitudines, Articulorum dolores, Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum. *Hip. lib. III. Aph.* 16.

Autumno vero plurimi aestivi morbi fiunt, & Febres qnartanae, & Erraticae, & Lienes, Aquae intercutem, & Tabes, & Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum, & Laevitates intestinorum, & Coxendicum dolores, & Anginae, & Asthmata, Volvuli, Morbi Comitiales, Furores, Melancholiae. *Hip. lib. III. Aph.*22.

Cum vero jam magis adoleverint, ton-

ſillae, & Vertebrae, quae eſt in occipitio ad interiora luxationes, crebri anhelitus, calculi, lumbrici rotundi, Aſcarides, Verrucae, Satyrae, Stranguriae, Strumae, & alia tubercula, ſed praecipue antedicta. *Hip. lib. III. Aph.*26.

Recto inteſtino, aut utero inflammationem patiente Urinae ſtillicidium accidit, & Renibus purulentis urinae advenit ſtillicidium: Hepati autem inflammationem patienti, ſingultus advenit. *Hip.lib.V. Aph.*58.

Renum, & veſicae vitia in Senioribus difficulter ſanantur. *Hip.lib.VI. Aph.*6.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Iſchuriam, Stranguriam, & Dyſuriam ſententiae proponuntur.

I. ISchuriae radix ſaepe in ventriculo conſideranda: Hinc juvant illa, quae ſuos effectus in primis viis exerere ſo-

ſolent, ut *oculor.* 69., *Sal. armoniac.*, *Sal. volat. Succin. &c. VVadſchmidt.*

II. Venae ſectio quandoque valde neceſſaria eſt, praeſertim ubi vaſorum diſtentio: Inſtitui autem poteſt, vel in pede, vel in brachio. *VValdſchmidt.*

III. Diuretica ſemper ſint mitiora. *VVald.*

IV. Clyſteres renibus, & viis urinariis egregie opitulantur, componi debent ex *decocto carminativo* cum *terebinthina*, *ſtercore* equino, *Sal. tartar.*, vel *liq. C. C. Succinato. Waldſchmidt.*

V. Cum vinum generoſum ſoleat eſſe *diureticum*, & *Stomachicum* ſimul, ſubinde propinari poteſt unum, vel alterum cochleare, in quo prius infuſum fuerit *Stercus equinum*, vel *Ovillum*, ſi cum vino exprimatur, eſt egregium. *Waldſchmidt.*

VI. Balnea hic ſuam quoque ſpondeant opem. *VValdſchmidt.*

VII. In morbi progreſſu omnibus remediis admiſceri debent *cinnabaris*, & *Succinata* quo nervinum genus corroboratur, & Epilepſia avertatur. *VValdſchmidt.*

VIII. In acute febricitantibus, & infanti-

bus Epilepticis, vel variolis, Medicus Semper quaerere debet, an urina rite profluat, cum in his morbis maximo cum Aegrotantis periculo ſupprimi ſoleat. *VValdſchmidt.*

IX. Sedulo Medicus attentus ſit in cauſſam, num oriatur ex Sanguinis grumo, an pure, viſcido muco, contractione, &c. *VValdſchmidt.*

X. Conveniunt omnia ex camomilla. *VValdſchmidt.*

XI. Ventriculi habenda ratio. *VValdſch.*

XII. In Dyſuria, aut Stranguria, *diuretica* plus nocent. *VValdſchmidt.*

XIII. Proſunt *carminativa*, quia acidum corrigunt. *VValdſchmidt.*

XIV. Vide, ut Alvus ſemper ſit lubrica, ſed cave ab aloëticorum uſu. *VValdſc.*

XV. In mictu cruento purgantia nocent. *Waldſchmidt.*

XVI. Fonticulus in brachio multum prodeſſe poteſt. *Valdſchmidt.*



CA-

CAPUT XVII.

De Haemorrhoidibus.

A Diuturnis ſano haemorrhoidibus, ſi una non ſervatur, periculum eſt Aquam intercutem, vel Tabem advenire. *Hip. lib.VI. Aph.* 12.

Ultra hanc aetatem progreſſis, Aſthma, Morbi laterales, Pulmonis inflammationes, Lethargi, Phrenitides, Ardentes febres, Diuturna profluvia, Cholerae, Difficultates, & Laevitates inteſtinorum; Haemorrhoides. *Hip. li. III. Aph.* 30.

In Inſanientibus ſi varices, vel haemorrhoides ſupervenerint, inſaniae ſolutio. *Hip. lib. VI. Aph.* 21.

Melancholia, & Nephritide laborantibus haemorrhoides, ſupervenientes, bonum. *Hip. lib. VI. Aph.* 11.



Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Haemorrhoides sententiae proponuntur.

I. STomachi digestionis potior hic habenda est ratio. *VValdschmidt*.

II. Omnia anticachectica prosunt. *Waldsc.*

III. Venae sectio tamen locum habere potest, urgente inflammatione, & consuetae evacuationis Suppressione. *VValdschmidt*.

IV. Vinum omnibus his nocet, qui hoc malo affliguntur, sive haemorrhoidum suppressione, sive apertione. *VValdsch.*

V. Qui novit Viscerum tollere obstructiones, is etiam novit curare haemorrhoides coecas, pro quibus saepius externe sufficiens erit remedium Saliva Hominis jejuni, vel canis. *VValdschmidt*.

VI. Qui Haemorrhoidum fluxu laborant rarius sunt purgandi. *Waldschmidt*.

VII. Vanae Sectio hic magis nocet, quia consuetum hunc flexum, quem natura saepius plures fert per annos, impedit; & cum

& cum per vasa Sedalia sanguis faeculentus effluat, contrarium contingit per venae Sectionem, per quem Sanguis floridus, & vegetus axtrahitur. *VValdschmidt*.

CAPUT XVIII.

De Podagra.

EUnuchi, neque Podagra laborant, neque calvi fiunt. *Hip, lib.VI. Aph.*28.

Mulier Podagra non laborat, nisi menstrua defecerint. *Hip. lib.VI. Aph.*29.

Puer Podagra non laborat ante usum venereorum. *Hip.lib.VI. Aph.*30.

Quibuscumque morbi podagrici fiunt; ii sedata in quadraginta diebus inflammatione finiuntur. *Hip. lib.VI. Aph.*49.

Dolores podagrici Vere,& Autumno magna ex parte moventur. *Hip. lib. VI. Aph.*55.

Tumores articulorum, atque dolores absque ulcere, Podagras, ac Convulsiones, horum plurima frigida aqua large effusa levat, & extenuat, solvitque dolorem, nam modicus torpor dolorem solvit. *Hip. lib.V. Aph.*25.

NOVUS APHORISMORUM ORDO.

PARS QUARTA.

De Febribus, & primo de intermittentibus in particulari.



Quartanis capti, non admodum a convulsionibus capiantur; Si vero prius capiuntur, & quartana supervenerit, liberantur, *Hip. lib.V. Aph.*70.

Aestivae QUARTANAE magna ex parte breves, Autumnales longae, & maxime, quae Hyemem attingunt. *Hip. lib.II. Aph.*25.

Autumno vero plurimi Aestivi morbi fiunt, & febres QUARTANAE, & Erraticae, & Lienes, Aquae intercutem, & Tabes, & Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum, & Laevitates intestinorum, & Coxendicum dolores, &

An-

Anginae, & Asthmata, Volvuli, Morbi comitiales, Furores, Melancholiae. *Hip. lib.III.*, *Aph.* 22.

Quibus in Febribus QUARTANIS existentibus Sanguis ex naribus fluxerit, malum. *Hip. lib.VIII. Aph.*3. ex additis in *libro* 7., ut ait Nicolaus Leonicenus.

Febres quaecumque non intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis periculosae; Quocumque autem modo intermiserint, periculum abesse significant. *Hip. lib.IV. Aph.* 43.

TERTIANA exquisita septenis circuitibus, cum longissima est, judicatur. *Hip.lib.IV. Aph.*59.

Iis, qui per circuitus accessiones habent nihil dare oportet, neque cogere: Sed subtrahere adjectioni ante judicationes. *Hip. lib.I.Aph.*19.

Aestate autem nonnulli horum, & Febres continuae, & Ardentes, & TERTIANAE Febres, & QUARTANAE, & Vomitus, & Alvi profluvia, & Lippitudines oculorum, & Aurium dolores, & Oris ulcerationes, Genitalium putredines, & Sudores. *Hip. lib.III. Aph.*21.

Morbi in pluviarum multitudine magna

ex

ex parte fiunt, Febres longae, Alvi profluvia, Putredines, Morbi comitiales, & Apoplexiae, & Anginae. In siccitatibus autem Tabitudines, Lippitudines, Articulorum dolores, Stillicidia Urinae, & Difficultates intestinorum. *Hip. lib.III. Aph.16.*

Febres quaecumque non intermittentes, si tertia die fortiores fiunt, periculosae. Quocumque autem modo se remiserint, significant, quod non sunt periculosae. *Hip. lib.VII. Aph.64.*

Insigniores Aurelii Cornelii Celsi circà Febres intermittentes breviter hic adnotantur sententiae.

I. QUARTANA aestiva brevis autumnalis fere longa est, maxime, quae coepit Hyeme appropinquante. *Cornel. Cel. lib.2. cap.8.*

II. QUARTANA neminem jugulat; sed si ex ea facta quotidiana est in malis Aeger est. Quod tamen nisi culpa, vel Aegri, vel Medici curantis, nunquam fit.

fit. *Cornel. Celſ. lib.3. cap.15.*

III. Vetus QUARTANA raro, niſi Vere ſolvitur. *Cornel. Celſ. lib.3. cap.16.*

IV. Si QUARTANA quievit dum meminiſſe ejus diei convenit, eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, laſſitudinem: Facile enim revertitur, niſi a ſano quoque aliquamdiu timetur. *Cornel. Celſ. lib.3. cap.16.*

V. Vinum omnibus dum Febris, dum inflammatio eſt, alienum eſt. *Cornel. Celſ. lib.5. cap.26.*

Selectiores circa Febres intermittentes Joannis Jacobi VValdſchmidt ſententiae proponuntur.

I. FOrtiora purgantia facile TERTIANAM duplicant. *VValdſchmidt.*

II. Vomitoria 4. vel 5. horis ante paroxyſmum egregie juvant. *VValdſchmidt.*

III. Terreſtria, & teſtacea, non ſolum febrem duplicant, ſed, & ad Hydropem viam ſternunt. *Waldſchmidt.*

IV. Quamvis Juvenes hanc febrem facile

fe-

ferant, Senibus tamen exitialis esse potest. *VValdschmidt*.

V. TERTIANARII facile fiunt Hectici. *VValdschmidt*.

VI. Clysteres ante paroxysmum juvant, in declinatione paroxysmi nocent. *VValdschmidt*.

VII. Largior potio nocet in principio paroxysmi, circa finem prodest. *VValdsc*.

VIII. In TERTIANA pro amuleto sola sufficit *camphora*. *VValdschmidt*.

IX. Vulgares julepi inflant Abdomen, & ventriculum relaxant. *VValdschmidt*.

X. TERTIANARII liquida prosunt, qui bilem acriorem diluunt; QUARTANARIIS autem nocent. *VValdschmidt*.

XI. In QUARTANIS purgantia rarius sunt exhibenda, quibus *mercurius dulcis* semper addendus:- Hinc emetica purgantibus praeferuntur. *VValdsch*.

XII. QUARTANA, quae passim oritur circa aequinoctium Autumnale, desinit plerumque inter initia Veris. *VValdsch*.

XIII. QUARTANA, ut inter initia caute tractanda, hic multo magis sub fine. *VValdschmidt*.

XIV. Largior potus facilius nocet QUARTA-

TA-

TANARIIS, quam TERTIANARIIS *VValdschmidt*.

XV. QUARTANARIUS sputator facile curatur. *VValdschmidt*.

XVI. Vesicatoria facilius juvant in QUARTANA, quam TERTIANA. *VValdschmidt*.

XVII. Amara semper subministranda. *VValdschmidt*.

XVIII. Externe pro amuleto conveniunt omnia ex araneis parata. *VValdschmidt*.

XIX. Si Hydrops supervenerit febri, potior habenda erit ratio febris, quam Hydropis, quia hydragoga febrem reddunt deteriorem. *Waldschmidt*.

XX. Omnes febricitantes, quamdiu sputant extra periculum sunt, tam in continuis, quam in intermittentibus. *VVald.*

XXI. Totum artificium curandi febrem intermittentem in eo consistit, ut febrifugum convenienti tempore exhibeatur, & vim suam integram retineat. *VValdschmidt*.

XXII. Post omnes febres intermittentes recidivae metum adimunt amara, acida, qua acida in omnibus febribus intermittentibus sunt suspecta, excepta

sola

ſola bezoardica tinctura. *Waldſchmidt*.

XXIII. Foelix ille Medicus erit, qui aliquot ante paroxyſmum horis, & catarſin leviorem, & ſudationem mediocrem citra turbas excitare poterit. *VValdeſch.*

CAPUT II.

De Febre Ardente.

QUibus circa dentes in febribus quidam lentores naſcuntur, iis fortes fiunt febres. *Hip. lib. IV. Aph.* 53.

Qui in febribus ARDENTIBUS tremores fiunt, delirio ſolvuntur. *Hip. lib. VI. Aph.* 26.

In acutis paſſionibus, quae cum febre ſunt, luctuoſa ſuſpiria, mala. *Hip. lib. VI. Aph.* 54.

In morbis acutis frigus partium extremarum, malum. *Hip. lib. VII. Aph.* 1.

Febres quaecumque non intermittentes ſi tertia die fortiores fiunt, periculoſae: quocumque autem modo ſe remiſerint, ſignificant, quod non ſunt periculoſae. *Hip. lib. VII. Aph.* 64.

Excreationes in febribus non intermit-

mittentibus lividae, ſanguineae, bilioſae, & foetidae, omnes malae; Cum vero excernuntur, bonum eſt, & per ventrem & per veſicam: Et ubi aliquid ſuccedens ſteterit non purgatum, malum. *Hip. lib.VII. Aphor.* 71.

Autumno morbi acutiſſimi, atque exitiales maxima ex parte: Ver autem ſaluberrimum, & minime exitiale. *Hip. lib.III. Aph.*9.

In febribus non intermittentibus ſi exteriora frigent, interiora uruntur, & febris habeat, lethale. *Hip.lib.VII.Aph.*74.

In febre non intermittente, ſi labrum, aut naſus, aut oculus, aut ſupercilium pervertitur, ſi non videat, ſi non audiat, & jam debilis ſit, quicquid horum fuerit, lethale eſt. *Hip. lib. VII. Aph.* 75.

Haec igitur in febribus acutis notare oportet, quando quis moriturus ſit, & quando evaſurus. *Hip.lib.VIII.Aph.*10. ex additis in *libro VII.* ut ait Nicol. Leonic.

Quibuſcumque per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis, nigra bilis,

aut

aut veluti ſanguis niger per inferiora ſubſederit poſtridie moriuntur. *Hip. lib.IV. Aph.*23.

Frigidi ſudores cum acuta quidem febre mortem: cum mitiori vero longitudinem morbi ſignificant. *Hip. lib. IV. Aph.* 37.

Si rigor incidat febre non intermittente Aegro jam debili, lethale eſt. *Hip. lib. IV. Aph.* 46.

Excreationes in febribus non intermittentibus, lividae, cruentae, foetidae, & biliosae, omnes malae; ſed ſi proſpere excernuntur, ſive per alvi excretionem, ſive per urinas, bonae: ſi vero aliquid eorum, quae non confert excerni per haec loca excernitur, malum. *Hip. lib. IV. Aph.* 47.

In febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores ſint frigidae, interiores vero urantur, & ſitim habeant, lethale eſt. *Hip.lib.IV. Aph.*48.

In febre non intermittente, ſi labrum, palpebra, vel ſupercilium, vel oculus, vel naſus pervertatur, vel non videat, vel non audiat; jam debili exiſtente corpore; quicquid horum evenerit, mors pro-

proxima eſt. *Hip.lib.IV.Aph*.49.

Ubi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, lethale. *Hip. lib.IV. Aph.* 50.

Quibus plurimum ſiccae tuſſes leviter irritantes in Febribus ARDENTIBUS fiunt, non multum ſiti infeſtantur. *Hip. lib.IV. Aph*.54.

FEBRE ARDENTE laboranti, rigore ſuperveniente, ſolutio fit. *Hip. lib.IV. Aph.* 58.

Acutorum morborum non omnino ſunt certae praenunciationes, aut ſalutis, aut mortis. *Hip. lib.II. Aph*.19.

Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur. *Hip. lib.II. Aph*.23.

Victus tenuis, atque exquiſitus in morbis quidem longis ſemper,in acutis vero in quibus non convenit, periculoſus, & rurſus qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis eſt; Nam & repletiones, quae ad extremum deveniunt, graves ſunt. *Hip. lib.I. Aph*.4.

In acutis morbis raro, & in principiis medicinis purgantibus uti convenit,& hoc cum praemeditatione faciendum. *Hip. lib.I. Aph*.24.

Aeſtate autem nonnulli horum, & Febres continuae, & ARDENTES, & Tertianae febres, & Quartanae, & Vomitus, & Alvi profluvia, & Lippitudines oculorum, & Aurium dolores, & Oris ulcerationes, Genitalium putredines, & Sudores. *Hip. lib.III. Aph.*21.

Sudores in decretoriis diebus oborientes, vehementes, & veloces facti, periculoſi: & qui expelluntur è fronte veluti guttae, & ſcaturiginum, & frigidi vehementer; & multi ſunt, ſudores enim ejuſcemodi, neceſſe eſt violenter, & cum labore ſummo, & expreſſione diutina exire. *Hip. lib.VIII. Aph.*4., ex additis in *lib.VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

In Siccitatibus Febres acutae fiunt. Quod ſi amplius talis pergat eſſe annus, qualem fecerit conſtitutionem, tales plures plurimum morbos oportet expectare. *Hip. lib.III. Aph.*7.

De temporibus: Siquidem Hyems ſicca, & aquilonia fuerit; Ver autem pluvioſum, & auſtrale, neceſſe eſt Aeſtate febres acutas fieri, & Lippitudines, & Inteſtinorum difficultates, praecipue vero Mulieribus, & Viris, qui natura

ſunt

ſunt humidiores. *Hip. lib.III. Aph.*11.

Si vero Aquilonius, & ſiccus, iis, qui naturam habent humidiorem, & Mulieribus confert;reliquis autem erunt Lippitudines ſiccae,& FEBRES ACUTAE, & Diuturnae,nonnullis vero morbi melancholici. *Hip. lib.III. Aph.*14.

Juvenibus autem Sanguinis ſpuitiones, Tabes, FEBRES ACUTAE, Morbus Comitialis, & alii, ſed praecipue antedicti. *Hip. lib.III. Aph.*29.

Ultra hanc Aetatem progreſſis, Aſthma, morbi Laterales, Pulmonis inflammationes,Lethargi, Phrenitides, ARDENTES FEBRES, Diuturna profluvia, Cholerae, Difficultates, & Laevitates inteſtinorum, Haemorrhoides. *Hip. lib.III. Aph.*30.

Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſolvuntur. *Hip. lib.IV. Aph.*63.

In Febribus circa ventriculum fortis aeſtus, & cordis morſus, malum. *Hip. lib.IV. Aph.*65.

In acutis febribus convulſiones, & circa viſcera dolores vehementes, malum. *Hip. lip.IV. Aph.*66.

In Febribus ſpiritus offendens malum; Convulſionem enim ſignificat. *Hip. lib.IV. Aph.68.*

Inſigniores Aurelii Cornelii Celſi circa Ardentem Febrem breviter hic adnotantur ſententiae.

I. NUlla acuta Febris leviter terrere nos debet. *Cornel.Celſ. lib.2.cap.4.*

II. Quod ſi vehemens febris urget in ipſo impetu ejus ſanguinem mittere Hominem jugulare eſt. *Cornel. Celſ. lib. 2. cap.10.*

III. Vinum omnibus dum Febris, dum inflammatio eſt, alienum eſt. *Cornel. Celſ. lib.5. cap.26.*

Selectiores circa Ardentem Febrem Joannis Jacobi VValdſchmidt ſententiae proponuntur.

I. IN acute Febricitantibus, & Infantibus Epilepticis, vel variolis, Medi-

cus

cus semper quaerere debet; an Urinæ rite profluat, cum in his morbis maximo cum Aegrotantis periculo supprimi soleat. *Waldschmidt.*

II. In omnibus ARDENTIBUS FEBRIBUS nunquam ab Aegro discedito, nisi prius linguam inspexeris. *VValdsch.*

III. Acida in his Febribus magis juvant, quam in intermittentibus. *Valdschmidt.*

IV. Vomitorium mature exhibitum omnia Symptomata toto morbi decursu apparentia reddit mitiora, qualia sunt *Diarrhea, dolor capitis, delirium, Vigiliae. VValdschmidt.*

V. Sudorifera in principio propinatæ, praesertim si fortiora, & validiora fuerint majores turbas excitant, & phrenitidem accersunt. *Waldschmidt.*

VI. Neque tamen volo, ut in principiis ab omnibus alexipharmacis abstineamus, sed temperariora saltem eligenda statuo, non tam ad sudores promovendos, quam acre absorbendum, & corrigendum *VValdschmidt.*

VII. Alvus clystere sollicitanda frequentius in principio, raro in statu, vel in declinatione. *Waldschmidt.*

VIII. Commendantur quoque *Opiata*, ſed velim nonniſi ſumma urgente neceſſitate, & viribus non omnino exhauſtis exhibeantur. *Waldſchmidt*.

IX. Mihi placent *papaverina*, vel *emulſiones*, vel omnia ex *papavero*. *VValdſch.*

X. Quamvis Chymica aliis ſint potentiora, in his tamen Febribus, *Vegetabilia* tutius ſaepe, & utilius exhibeantur *Waldſchmidt*.

XI. Ex vino tenui in tempore dato Febricitanti, rubor, & robur, & ſudor. *Waldſchmidt*.

XII. Apparatus *remediorum* non ſit copioſus: Pauca ſufficiant, ut *Arcan. duplicat.*, *Xacchar. perlat.*, *Antimon. diaphoretic. Antihect.P.P.*,*C.C.*&c.*VValdſ.*

Hippocratis praeſagiorum Liber Primus.

IN acutis morbis ſic conſiderare oportet, in primis quidem Aegri faciem, an Sanorum faciebus maxime vero ſuae ipſius ſimilis ſit, ea enim optima cenſenda eſt, quae vero maximo diſcrimine ab hac ſimilitudine recedit, graviſ-

ſimum

ſimum periculum portendit, cujus hae ſunt notae:

Nares acutae, oculi concavi, tempora collapſa, aures frigidae, & contractae, & imis partibus leviter verſae, cutis circa frontem dura, intenſa, & arida, totius faciei color, aut niger, aut pallidus, aut plumbeus, aut lineus: Quod ſi inter morbi initia hujuſmodi facies appareat, neque ex aliis indiciis conjectura ſumi poſſit: inquirendum eſt, an vigilia, aut ventris vehemens reſolutio, aut inedia praeceſſerit: Quorum ſi quidpiam deprehenderis nihil periculi timendum eſt, atqui ſi ab hujuſmodi cauſſis haec faciei ſpecies orta eſt, una die, noctequе finitur: ſi vero eos praeceſſiſſe Aeger negaverit, diutiuſque jam dicto tempore haec forma duraverit, ſcire licet, eum morti proximum eſſe.

Hippocratis praeſagiorum Liber Tertius.

SI Pueris in acuta Febre alvus nihil dejicit, neque Somnus accedit, ſed terrentur, flent, color mutatur, ut modo

pallidus, modo lividus, aut ruber efficiatur, nervorum distentio timeri debet (hoc est Convulsionem) utpote quae Pueros, qui septimum annum nondum excesserunt, quam promptissime invadit. Grandiusculos vero Pueros, atque adultos non adeo in Febribus nervorum distensio praehendit, nisi vehementis admodum malatiae signum aliquod affuerit, qualia videlicet in phreneticis videmur.

CAPUT III.

De Febre Hectica.

LAc dare caput dolentibus malum; Malum vero, & Febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & Siticulosis; Malum autem, & quibus in Febribus acutis biliosae sunt dejectiones, & quibus Sanguinis multi dejectio facta est. Convenit autem Tabidis dare, qui non valde multum febricitant, & in Febribus longis, & parvis, si nullum ex supradictis signis adfuerit, & praeter rationem consumptis. *Hip. lib. V. Aph. 64.*

Ta-

Tabe laborantibus profluvium alvi superveniens, lethale. *Hip. lib.V. Aph.*14.

Tabes fiunt praecipue aetatibus a decimo octavo, usque ad trigesimum quintum. *Hip. lib.V. Aph.*9.

Quibuscumque Febres sunt longae,iis, vel tubercula, vel ad articulos dolores decumbunt. *Hip. lib.VII. Aph.*65.

Qui Tabe molestantur, si sputum, quod extussiunt grave olet injectum carbonibus, & capilli a capite defluunt, lethale. *Hip. lib. V. Aph.*11.

Quibuscumque TABE laborantibus capilli a capite defluunt; Iis alvi profluvio superveniente, moriuntur. *Hip. lib.V.*, *Aph.*12.

(A TABE fluxus ex capite, a fluxu, alvi profluvium; ab alvi profluvio inhibitio purgationis sursum; ab inhibitione, MORS.)

Ex Morbo diuturno alvi defluxus,malum. *Hip.lib.VIII.Aph.*5.ex additis *in lib.VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

TABES maxime fiunt ab anno octavo decimo, usque ad quintum, & trigesimum. *Hip. lib. VIII. Aph.*7. ex additis *in lib.VII.* ut ait Nicol. Leonicen

Quae

Quae ſecundum naturam ad TABEM diſpoſita ſunt, omnia quidem vehementia: quaedam vero etiam lethalia. Secundum autem, ſi quidem in eo tempore aegrotet, cum tempus ipſum una cum morbo impugnat, velut cum Febre Ardente Aeſtas, cum Hydrope Hyems. Natura enim longe ſuperior eſt: Lieni vero plus affert timoris. *Hip. lib.VIII.*, *Aph.*8. ex additis *in lib.VII.*, ut ait Nicol. Leonicen.

Grandioribus autem & jam accedentibus ad pubertatem plurima ex his, & FEBRES DIUTURNAE, magis, & ex naribus profluvia ſanguinis. *Hip. lib.III.*, *Aph.*27.

Quibuſcumque per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis, nigra bilis; aut veluti Sanguis niger per inferiora ſubſederit, poſtridie moriuntur. *Hip. lib. IV. Aph.*23.

Quae longo tempore extenuata ſunt corpora lente reficere oportet; Quae vero brevi, breviter. *Hip. lib.II. Aph.*7.

Victus tenuis, atque exquiſitus in morbis quidem longis ſemper; in acutis vero

in

in quibus non convenit, periculosus. Et rursus, qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis est; Nam & repletiones, quae ad extremum deveniunt, graves sunt. *Hip. lib.I. Aph.*4.

Autumnus Tabidis malus. *Hip. lib. III. Aph.* 10.

Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt Febres longae, Alvi profluvia, Putredines, morbi Comitiales, & Apoplexiae, & Anginae. In siccitatibus autem TABITUDINES, Lippitudines, Articulorum dolores, Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum. *Hip. lib.III. Aph.*16.

Selectiores circa Febrem Hecticam Joannis Jacobi VValdschmidt sententiae proponuntur.

I. LAc Hecticorum est remedium, si solum, & per intervalla sumatur, plus tamen praestat in Febre sine Ulcere. *VValdschmidt*.

II. Tinctura illa Antiphthisica plus praestat

ſtat in Atrophia ex cruditate ventriculi, quam in vera Hectica cum Ulcere pulmonum. *VValdſchmidt*.

III. Quos Febres longae exercent, iis tubercula, vel labores in articulos fiunt. *VValdſchmidt*.

IV. Cum omnibus Hecticis modeſte agendum. *VValdſchmidt*.

V. Hectici non ferunt colliqueſcentia, deſtillataque empyreumata per plures ſeptimanas ter, vel quatuor in die ad IV. cochlearia aſſumpta valde proſunt Hecticis. *VValdſchmidt*.

VI. Quaerelae de calore nocturno, nunquam oſcitanter, vel ſuperficialiter a Medico excipiendae, merentur enim, & attentionem, & tempeſtiva remedia. *VValdſchmidt*.

CAPUT IV.

De Febre Maligna, Acuta, & Peſtilenti.

IN acutis paſſionibus, quae cum Febre ſunt, luctuoſa ſuſpiria, mala. *Hip. lib. VI. Aph. 54.*

In

In morbis acutis frigus partium extremarum, malum. *Hip. lib.VII.Aph.*5.

Excreationes in Febribus non intermittentibus lividae, ſanguineae, biliosae, & foetidae, omnes malae. Cum vero excernuntur bonum eſt, & per ventrem, & per veſicam: & ubi aliquid ſuccedens ſteterit non purgatum, malum. *Hip. lib.VII.Aph.*71.

In Febre non intermittente, ſi labrum, aut naſus, aut oculus, aut ſupercilium pervertitur, ſi non videat, ſi non audiat, & jam debilis ſit; Quicquid horum fuerit, lethale eſt. *Hip. lib. VII. Aph.*75.

In Febribus non intermittentibus, ſi exteriora frigent, interiora uruntur, & Febris habeat, lethale. *Hip. lib.VII. Aph.*74.

Haec igitur in Febribus acutis notare oportet, quando quis moriturus ſit, & quando evaſurus. *Hip.lib.VIII. Aph.* 10. ex additis *in lib.VII.*, ut ait Nicol. Leonicen.

Sudores in decretoriis diebus orientes, vehementes, & veloces facti, pericuJoſi: Et qui expelluntur è fronte veluti

ti guttae, & Scaturiginum, & frigidi vehementes: Et multi sunt; Sudores enim ejuſcemodi, neceſſe eſt violenter, & cum labore ſummo, & expreſſione diutina exire. *Hip. lib. VIII. Aph.*4.ex additis in *lib. VII.*, ut ait Nicol. Leonicenus.

In malignis morbis labia livida, aut etiam reſoluta, & inverſa, & frigida, lethalia. *Hip. lib. VIII. Aph.* 13. ex additis in *lib. VII.*, ut ait Nicol. Leonicen.

In malignis morbis, aures frigidae, pellucidae contractae, lethales ſunt. *Hip. lib. VIII. Aph.*14. ex additis in *lib. VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Medicari in valde acutis ſi materia turget, eadem die; Tardare enim in talibus, malum eſt. *Hip. lib.IV. Aph.*10.

Quibuſcumque per morbos acutos, vel diuturnos, aut vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti Sanguis niger per inferiora ſubſederit, poſtridie moriuntur. *Hip. lib. IV. Aph.* 23.

In Febribus Spiritus offendens, malum: Convulſionem enim ſignificat. *Hip. lib. IV. Aph.* 68.

Fri-

Frigidi ſudores cum acuta quidem febre, mortem; Cum mitiori vero longitudinem morbi ſignificant. *Hip. lib. IV. Aph.* 37.

Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur. *Hip. lib. II. Aph.* 23.

Quibus Febricitantibus ſexto die rigores fiunt, difficile judicium ſequitur. *Hip. lib. IV. Aph.* 29.

Quibuſcumque acceſſiones fiunt, quacumque hora febris dimiſerit, ſi eadem hora occupaverit, judicium habent difficile. *Hip. lib. IV. Aph.* 30.

Sudores Febricitanti ſi incoeperint boni tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & undecimo, & decimo quarto, & ſeptimodecimo, & vigeſimo primo, & vigeſimo ſeptimo, & trigeſimo primo, & trigeſimo quarto: Hi enim ſudores judicant morbos; Qui vero non ita fiunt laborem ſignificant, & morbi longitudinem, & recidivam. *Hip. lib. IV. Aph.* 36.

Febres quaecumque non intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis periculoſae. Quocumque autem modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant.

cant. *Hip. lib.IV. Aph.* 43.

Si rigor incidat Febre non intermittente, AEgro jam debili, lethale est. *Hip. lib. IV. Aph.* 46.

Excreationes in Febribus non intermittentibus lividae, cruentae, foetidae, & biliosae, omnes malae: sed si prospere excernuntur, sive per alvi excretionem, sive per urinas, bonae: si vero aliquid eorum, quae non confert excerni per haec loca excernitur, malum. *Hip. lib.IV. Aph.*47.

In Febribus non intermittentibus si partes exteriores sint frigidae, interiores vero urantur, & sitim habeant, lethale est. *Hip. lib.IV. Aph.*48.

In Febre non intermittente si labrum, palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, vel non videat, vel non audiat; jam debili existente corpore: Quicquid horum evenerit, mors proxima est. *Hip. lib.IV.Aph.*49.

Ubi in Febre non intermittente, difficultas spirandi, & delirium acciderit, lethale. *Hip. lib. IV. Aph.* 50.

His, qui in Febribus, vel in aliis morbis sponte illacrymant, nihil horribile accidit:

cidit : Qui vero non ſponte orribilius. *Hip. lib. IV. Aph.* 52.

Febricitanti ſudor ſuperveniens febre non deficiente, malum : Prolongatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem. *Hip. lib.IV. Aph.*56.

In acutis Febribus convulſiones, & circa viſcera dolores vehementes, malum. *Hip. lib.IV. Aph.* 66.

In Febribus ex ſomnis pavores, vel Convulſiones, malum. *Hip. lib.IV. Aph.*67.

Quando Aeſtas ſit Veri ſimilis, ſudores in Febribus multos expectare oportet. *Hip.lib.III., Aph.*6.

Autumno morbi acutiſſimi, atque exitiales maxime ex parte : Ver autem ſaluberrimum, & minime exitiale. *Hip. lib.III. Aph.* 9.

De Temporibus ; Siquidem Hyems ſicca, & Aquilonia fuerit ; Ver autem pluvioſum, & Auſtrale, neceſſe eſt Aeſtate Febres acutas fieri, & Lippitudines, & Inteſtinorum difficultates, praecipue vero Mulieribus, & Viris, qui natura ſunt humidiores. *Hip. lib. III.Ap*[illegible]

Acutorum morborum non omnino ſunt

certae praenunciationes, aut Salutis, aut Mortis. *Hip. lip.II. Aph.*19.

Victus tenuis, atque exquisitus in morbis quidem longis semper; In acutis vero in quibus non convenit, periculosus: & rursus, qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis est; Nam, & repletiones, quae ad extremum deveniunt graves sunt. *Hip.lib.I.Aph.*4.

Ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu utendum est; Ubi vero non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior. *Hip. lib. I. Aph.* 7.

Victus humidus Febricitantibus omnibus confert, maxime vero Pueris, & aliis, qui tali victu uti consueverunt. *Hip. lib.I. Aph.*16.

In acutis morbis raro, & in principiis medicinis purgantibus uti convenit, & hoc cum praemeditatione faciendum. *Hip. lib.I. Aph.* 24.

Lingua nigra, atque cruenta, si quid horum signorum abest, non valde malum: morbum enim minorem declarat.

rat. *Hip. lib. VIII. Aph.*9. ex additis in *lib. VII.*, ut ait Nicol. Leonicen.

In Febribus circa ventriculum fortis Aestus, & cordis morsus, malum. *Hip. lib. IV. Aph.*65.

Insigniores Aurelii Cornelii Celsi circa Malignam, Acutam, atque Pestiferam Febrem breviter hic adnotantur sententiae.

I. NUlla acuta Febris leviter terrere nos debet. *Cornel. Cels. lib.* 2. *cap.* 4.

II. In Febre pestilente minime utile est, aut medicamentis uti, aut ducere alvum; si vires sinunt Sanguinem mittere optimum est, praecipueque si cum dolore Febris est. *Cornel. Cels. lib.* 3. *cap.* 7.

III. Vinum omnibus dum Febris, dum inflammatio est, alienum est. *Cornel. Cels. lib.*5. *cap.*26.

IV. Adolescentia morbis acutis, itemque

Comitialibus, Tabique maxime objecta est. *Cornel. Celſ. lib.* 2. *cap.* 1.

V. Obesi plerumque acutis morbis, & difficultate ſpirandi ſtrangulantur, ſubitoque ſaepe moriuntur. *Cornel. Celſ. lib.* 2. *cap.* 1.

VI. Mali morbi Teſtimonium eſt vehementer, & crebro ſpirare. *Corn. Celſ. lib.* 1. *cap.* 1.

VII. Quod ſi vehemens Febris urget in ipſo impetu ejus ſanguinem mittere, Hominem jugulare eſt; expectanda ergo intermiſſio, & iſta Medicina, fere in biduum dividenda: Satius enim eſt primo levare Aegrum, deinde repurgare, quam ſimul omni vi effuſa fortaſſe praecipitare. *Cornel. Celſ. lib.* 2. *cap.* 10.

VIII. Matutinum tempus remiſſius fere eſt Aegris. *Cornel. Celſ. lib.* 3. *cap.* 5.



Se-

Selectiores circa Malignam, Acutam, & Pestiferam Febrem Joannis Jacobi VValdschmidt sententiae proponuntur.

I. MEdicus nunquam ab Aegro recedat, nisi prius inspexerit oculos, quorum insolita mutatio infaustum praedicit morbi eventum, & dum pulsum explorat semper attendere debet, an manus Aegrotantis sit tremula. *VValdschmidt.*

II. Si quod movendum vides, move, idque aut nunc, aut nunquam; fit hoc tutius per Emeticum, si Aeger conqueratur de anxietate praecordiorum. *Waldschmidt.*

III. Epilepsia facile coincidit, hinc semper miscenda sunt specifica alexipharmacis, ut *Castor.*, *Cinnab.*, *liq. C. C.*, *Succin.*, *Sal. Volat. C.C.*, *Viper.* &c. *VValdschmidt.*

IV. Septima die Sudores movere, bonum. *Waldschmidt*.

V. Victus sit tenuis, conveniunt panatellae, brodia instaurantia &c.*Waldsch.*

VI. Venae Sectio, vel prodest, vel nocet, itaut difficile sit hic certi quid determinare tutius tamen esse puto venam secare modo non peccetur, in quanto, idque primo, vel secundo die. *VValdschmidt*.

VII. Praesente Diarrhoea nunquam Venae sectio tentanda, multo minus praesente Vomitu. *Waldschmidt*.

VIII. Modicum Vini concedito, praesertim Febri Petechiali, & Pestilenti correptis. *Waldschmidt*.

IX. In malignis Morbis nunquam ab Aegro discedito, nisi prius linguam inspexeris. *VValdschmidt*.

X. Diarrhoea nunquam est salutaris; Statim itaque exhibenda sunt alexipharmaca, intestina simul corroborantia, ut *Diascord.*, *C. C. Ust.*, *terr. sigillat.* &c.

XI. Inflammatio Visceris, vel partis alicujus superiores morbum fere semper facit lethalem: Quapropter in progno-

sti-

ſticando eſtote oculati, & cum inflammatio plus valeat in indicando, quam cauſſa morbi prohibendo, cogimur venam adhuc ſecare, quocumque etiam id fuerit, morbi tempore, ſaltem ne videamur quid intermiſiſſe. *VValdſchm.*

XII. Ubi intenſus, calor, ibi exulare jubeto *Theriacalia*, aliaque calidiora. *VValdſchmidt*.

XIII. Practici tantopere commendant *opiata*, ſed credas non obtinere illud, quod promittunt. *VValdſchmidt*.

XIV. Veſicatoria quo plura, eo efficaciora, videlicet in Carpis manuum, & in Suris. *VValdſchmidt*.

XV. Apparentibus petechiis, nihil amplius in primis viis moveri debet, ut hinc, vel ipſa enemata eo tempore ſint ſuſpecta. *Valdſchmidt*.

Hippocratis praeſagiorum Liber Primus.

IN acutis Morbis ſic conſiderare oportet, in primis quidem Aegri faciem, an Sanorum faciebus, maxime vero ſuae ipſius ſimilis ſit, ea enim optima

censenda est, quae vero maximo discrimine ab hac similitudine recedit, gravissimum periculum portendit, cujus hae sunt notae.

Nares acutae, oculi concavi, collapsa tempora, frigidae, contractaeque aures, & imis partibus leviter versae, Cutis circa frontem dura, intensa, & arida, totius faciei color, aut niger, aut pallidus, aut plumbeus, aut lineus. Quod si inter morbi initia hujusmodi facies appareat, neque ex aliis indiciis conjectura sumi possit, inquirendum est, an Vigilia, aut Ventris vehemens resolutio, aut inaedia praecesserit: Quorum si quidpiam depraehenderis nil periculi timendum est, atqui si ab hujusmodi caussis haec faciei species orta est, una die, nocteque finitur; si vero eas praecessisse, Aeger negaverit, diutiusque jam dicto tempore haec forma duraverit, scire licet, eum morti proximum esse.

Si oculi lumen refugiunt, & illacrymant, idque praeter voluntatem, aut pervertuntur, alterque ex iis minor est, & quae in ipsis alba esse debent, rudescunt,

aut genae pallent, atque in iisdem Venulae nigricant, aut lippitudo innatans, tandem angulis inhaeret, aut frequens est oculorum motus, iisve, aut vehementer subsederunt, aut facti tumidiores sunt, fueritque aspectus horridus, obscurusque, atque universae faciei color mutatus: Haec omnia signa mala. perniciosaque putanda sunt.

Quin etiam oculorum per somnum suspectione observandae sunt. Ubi enim palpebrae non committuntur, sed inter has, & albo oculorum aliquid apparet, neque id fluens alvus, aut medicamenti potio praecessit, praesertim si quis non sic dormire consueverit, pravum hoc signum, lethale quoque admodum est.

Si palpebra, aut labrum, aut nasus retorquetur, aut pallet, aut livore inficitur, accedente quopiam reliquorum signorum Aegrum morti proximum esse haud dubitandum est. Mortem etiam portendunt labra resoluta, suspensa, frigida, candicantia.

Non laudatur decubitus, quo brachia, cervix, & crura extenduntur.

Id vero gravjus est, si seipsum Aeger conti-

tinere non valens ad pedes ſubinde delabitur.

Ubi pedes nudat, neque iis calor ſubeſt, ubi brachia, cervicem, & crura inaequabiliter diſpergit, ac nudat, mali morbi, angoriſque ſignum eſt.

Perniocioſum eſt ubi hians, quis aſſidue dormit.

Periculoſum eſt ubi Supinus jacet cruribus vehementer contortis, complicatiſque.

Si pronus jacet is, qui per bonam valetudinem ſic dormire non conſuevit, aut delirium, aut ventris dolorem portendit.

Ubi reſidere vult Aeger in ipſo morbi vigore, malum quidem indicium eſt in omnibus acutis affectibus, id ſed longe peſſimum pulmonibus laborantibus.

Stridor dentium per Febres praeter conſuetudinem a teneris contractem, Inſaniam ſignificat, & Mortem, atqui ab utriuſque futurum periculum denunciandum eſt, ſi vero jam Delitanti, ſtridor quoque accedit, vix aliam aeque pernicioſam invenies notam.

Ex manuum latione hujuſcemodi notas perpende in acutis Febribus, in Peripneu-

pneumonia, Phrenitide, Capitis dolore, si quis eas faciei admoverit, aut inde quidpiam supervacue venitur, aut festucas carpat, aut a veste floccos, aut a pariete paleas avellat; omnes hae malae, lethalesque sunt.

Spiritus frequens, aut doloris, aut inflammationis in partibus septo transverso superioribus indicium est. Magnus, & ex longis intervallis delirium declarat. Frigidus ex naribus, & ex ore prodiens lethalis admodum est. Facilis Spiratio in acutis morbis, quibus Febris copuletur, quique intra quatraginta dies finiri solent magnum habet ad salutem momentum.

Sudores saluberrimi censentur in omnibus acutis morbis, si in diebus decretoriis oriantur Febrimque finiant, aut ubi toto corpore aequaliter insudente Aeger morbus facilius substinere videtur. Contra inutiles, qui id efficere non valent. Pessimi omnium sunt frigidi, & ubi caput dumtaxat, aut facies, aut Cervix insudat; Quippe qui in acuta quidem Febre, Mortem, in mitiori vero morbum diuturnum fore

re ſignificant. Et qui per totum corpus eodem modo finiunt; qui circa caput, qui autem milii inſtar, & circa collum dumtaxat finiunt, mali, qui vero guttatim, & exhalando, boni; Conſiderare autem oportet ſudores in univerſum, alii enim propter corporum exolutionem, alii propter inflammationis vehementiam fiunt.

Hippocratis praeſagiorum Liber Secundus.

MAli morbi ſignum eſt, Caput, & Pedes, Manuſque frigidas habere Ventre, & Lateribus calentibus.

Securitatem pollicitur Corpus, quod aequaliter molle, & calidum eſt; quodque facile convertitur, & ſurgit.

Gravitas vero, quae, vel manus, & pedes, vel reliquum quoque corpus, praemit, periculum ſignificant.

Quod ſi cum gravitate ungues quoque, ac digiti Livore afficiantur, continuo perniciem expectare oportet.

At omnino nigri tum digiti, tum pedes, minuſque liventes, periculum portendunt;

dunt: Sed tunc ad reliqua ſigna reſurgere oportet, etenim ſi Aeger facile malum ſuſtinet, adſintque alia quaedam indicia, quae ſecuritatem polliceri ſolent ſuppurationem ſperabis, atque ſuperſtes manebit Aeger, ſed denigratae corporis partes decident.

Teſticuli, pudendaque retracta, vehementes dolores, atque lethale periculum ſignificant.

CAPUT V.

De Febribus in genere.

Victus humidus Febricitantibus omnibus confert, maxime vero Pueris, & aliis, qui tali victu uti conſueverunt. *Hip.lib.I. Aph.*16.

Quibuſcumque Febres ſunt longae, iis, vel tubercula, vel ad articulos dolores decumbunt. *Hip. lib.VII. Aph.*65.

Quos Febres longae exercent, iis tubercula, vel labores in articulis fiunt. *Hip. lib.IV. Aph.*44.

Quibuſcumque Febricitantibus in urinis fiunt ſedimina, veluti farina craſſior lon-

longam aegritudinem fore ſignificat. *Hip. lib. VII. Aph.*31.

Si Febris non ex bile fit, multa aqua calida capiti ſuperinfuſa, ſolutio fit Febris. *Hip. lib. VII. Aph.* 42.

Sudores in decretoriis diebus oborientes, vehementes, & veloces facti, periculoſi: expulſi a fronte ſtillarum inſtar, & ſcaturiginum, & frigidi vehementer: Et multi ſunt, ſudores enim ejuſcemodi neceſſe eſt violenter, & cum labore ſummo, & expreſſione diuturna exire. *Hip. lib. VIII. Aph.* 4. ex additis in *lib. VIII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Quibus Febricitantibus Sanguinis fluxerit multitudo, quacumque ex parte, cum reficiuntur, alvi iis humectantur. *Hip. lib.IV. Aph.* 27.

Quibus Febricitantibus ſexto die rigores fiunt, difficile judicium ſequitur. *Hip. lib.IV. Aph.*29.

Quibuſcumque acceſſiones fiunt, quacumque hora Febris dimiſerit, ſi eadem hora occupaverit, judicium habent difficile. *Hip. lib.IV. Aph.*30.

Sudores Febricitanti ſi incoeperint, boni tertio die, & quinto, & ſeptimo, &

nono

nono, & undecimo, & decimoquarto, & decimoſeptimo, & vigeſimo primo, & vigeſimo ſeptimo, & trigeſimo primo, & trigeſimo quarto. Hi enim Sudores judicant morbos; qui vero non ita fiunt laborem ſignificant, & morbi longitudinem, & recidivam. *Hip.lib.IV.Aph.*36.

Quibus circa dentes in Febribus quidam lentores naſcuntur, iis fortes fiunt Febres. *Hip. lib.IV. Aph.*53.

Febricitanti ſudor ſuperveniens Febre non deficiente, malum; Prolongatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem. *Hip. lib.IV. Aph.*56.

Febres quaecumque non intermittentes, tertio die fortiores fiunt, magis periculoſae: Quocumque autem modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant. *Hip. lib.IV. Aph.*43.

Febres quaecumque non intermittentes, ſi tertia die fortiores fiunt periculoſae: Quocumque autem modo ſe remiſerint, ſignificant, quod non ſunt periculoſae. *Hip. lib.VII. Aph.*64.

Si quis cibum Febricitanti dederit: Sano quidem, robur, laboranti, vero, morbus. *Hip. lib. VII.Aph.* 67.

Fe-

Febricitantium non omnino leviter permanere corpus, & nihil minui; vel etiam plus quam ratio poſtulat, contabeſcere: Malum: Illud enim morbi longitudinem, hoc vero imbecillitatem ſignificat. *Hip. lib. II. Aph.* 28.

In Febribus ex ſomnis pavores, vel Convulſiones, malum. *Hip. lib. IV. Aph.* 67.

Febricitantibus laſſitudinem habentibus, in articulos, & circa maxillas potiſſimum abſceſſus fiunt. *Hip. lib. IV. Aph.* 31.

In Febribus Abſceſſus, qui ad primas judicationes non ſolvunt, longitudinem morbi ſignificant. *Hip. lib. IV. Aph.* 51.

Quibus in Febribus aures obſurduerunt, Sanguis ex naribus fluens, aut alvus turbata, ſolvit morbum. *Hip. lib. IV. Aph.* 60.

Febricitans niſi diebus imparibus Febris reliquerit, ſolet recidere. *Hip. lib. IV. Aph.* 61.

Quibus in Febribus quotidie rigores fiunt, quotidie Febres ſolvuntur. *Hip. lib. IV. Aph.* 63.

Quibus in Febribus morbus Regius ſeptimo, vel nono, vel undecimo, vel quartode-

todecimo, ſupervenerit, bonum; niſi dextrum Hypochondrium obduruerit; Si vero non, non bonum. *Hip. lib.IV. Aph.* 64.

Quibus adhuc Febricitantibus urinae ſunt craſſae, grumoſae, paucae, multitudo earum tenuis ſuperveniens juvat; praecipue vero tales veniunt, quibus ab initio, vel non ita multo poſt, ſedimentum ineſt. *Hip. lib.IV. Aph.*69.

Quibus Hypochondria ſuſpenſa murmurant, lumborum dolore superveniente, iis alvi humectantur, niſi flatus erumpant, aut urinae multitudo proveniat. Haec vero in Febribus. *Hip. lib. IV. Aph.*73.



NOVUS APHORISMORUM ORDO.

PARS QUINTA

De Morbis Mulierum.

CAPUT I.

De menstrua Mulierum suppressa Excretione.



Enstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum. *Hip. lib. V. Aph.* 33.

Si Mulieri cessent purgationes, neque Febri, neque rigore superveniente, & fastidia cibi incidant, judica ipsam in Utero habere. *Hip. lib. V. Aph.*61.

Mulier Podagra non laborat, nisi menstrua defecerint. *Hip. lib. VI. Aph.* 29.

Si Mulier, quae neque gravida est, neque peperit, lac habet, huic menstrua de-

defecerunt. *Hip. lib. V. Aph.* 39.

Si menstrua plura fiant, accidunt Morbi; & si non fiant, ex Utero Morbi contingunt. *Hip. lib. V. Aphor.* 57.

Mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus venientes, purgationem indicat esse necessariam. *Hip. lib. V. Aph.* 36.

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Mensurnam Mulierum suppressionem sententiae proponuntur.

I. VEnae Sectio, crescente Luna, instituenda in brachio, ante Novilunium in pede. *Waldschmidt.*

II. Quae nervis, & cerebro sunt dicata, quoque utero conveniunt. *VValdschm.*

III. Purgantia debent esse *aloëtica*, & cum hic affectus curetur in cachexia, convenit vinum medicatum, ex hepaticis, & spleneticis. *VValdschmidt.*

IV. Instantibus mensibus, potus frigidus, omnia

omnia frigida, & acida, ira, moeror, terror, quovis modo ſunt fugienda. *Waldſchmidt*.

V. Ante omnia Ventriculi habenda eſt ratio: hinc omnia *Stomachica* ſunt etiam *Uterina*, ſolis acidis exceptis. *Waldſchmidt*.

VI. Inter ſpecifica, *myrrh.*, *ſuccin.*, *cinnabar.*, atque omnia ex his parata principem obtinent locum. *VValdſchmidt*.

CAPUT II.

De Fluxu menſium nimio.

Mulieri, ſi velis menſtrua cohibere, cucurbitulam quammaximam ad mammas appone. *Hip. lib.V. Aph.* 50.

In fluxu Muliebri, ſi Convulſio, & Animi defectus advenerit, malum. *Hip.lib.V. Aph.* 56.

Si menſtrua plura fiant, accidunt Morbi; & ſi non fiant ex Utero morbi contingunt. *Hip. lib.V. Aph.*57.

A profluvio Sanguinis, Deſipientia, ac Convulſio, malum. *Hip. lib.VI. Aph.*9.

Vere etenim, Furores, & morbi Melan-

cho-

cholici, & Comitiales, & Profluvia sanguinis, & Anginae, & Gravedines, & Raucedines, & Leprae, & Tusses, & Impetigines, & Vitiligines, & Pustulae, ulcerosae plurimae, & Tubercula, & Articulorum dolores. *Hip. lib. III. Aph.*3.

Ubi Sanguis plurimus fluxerit, Singultus, aut Convulsio superveniens, malum. *Hip. lib.V. Aph.* 3.

Calidum, ubi quis saepius eo utitur, haec mala affert, Carnis effoeminationem, Nervorum imbecillitatem, Mentis torporem, Profluvia Sanguinis, Animi defectionem: quibus Mors succedit. *Hip. lib.V. Aph.*16.

CAPUT III.

De Affectione Hysterica, Melancholia ab Utero, & Furore uterino.

MUlieri, quae Uterinis molestatur, aut difficulter parit, superveniens Sternutatio, bonum. *Hip. lib.V. Aph.*35.

Suffitus aromatum muliebria ducit; Saepius vero, & ad alia utilis esset, nisi capitis faceret gravitatem. *Hip. lib. V. Aph.*28.

In morbis melancholicis cum in haec pericula inciditur, stuporem corporis, vel Convulsionem, vel Furorem, vel coecitatem significant. *Hip. lib. VI. Aph.*56.

Quibuscumque Mulieribus ad mammas sanguis colligitur, Furorem significat. *Hip. lib. V. Aph.* 40.

In Insanientibus, si Varices, vel Haemorrhoides supervenerint, Insaniae solutio. *Hip. lib. VI. Aph.*21.

Si timor, atque moestitia longo tempore perseverent, ex eo atra bilis significatur. *Hip. lib. VI. Aph.* 23.

Si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupida: tale est Melancholicum. *Hip. lib. VII. Aph.*40.



Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Hystericam affectionem sententiae proponuntur.

I. DUlcia, Acida, Frigida, Suaveolentia, Ira, & Terror, pestis instar fugienda. *VValdschmidt.*

II. Emeticum statim exhibitum, ipsum tollit paroxysmum. *VValdschmidt.*

III. Omnia quae hypochondriacos juvant, Hystericas quoque juvant. *Walds.*

IV. Omnia purgantia hystericis nocent, Enemata autem egregie prosunt. *VValdschmidt.*

V. In ipso paroxysmo omnia illa sunt adhibenda, quibus Epileptici excitari solent. *Waldschmidt.*

VI. Innumera sunt medicamenta, ut *Spirit. Sal. armoniac.*, *tinctur. Sal.* cum opio, *aq. Menth.*, *puleg.*, *epileptic. Lang.*, *foecul. bryon.*, *castor.*, *ol. rut. &c. VValdschmidt.*

VII. Qui scit passionem hystericam curare, cordis palpitationem etiam curare scit. *Waldsc.*

CAPUT IV.

De Sterilitate.

SI Mulier non concipit, ſcire autem velis ſi conceptura ſit, pannis circumtectam de ſubter ſuffias, & ſi odor videatur per corpus ire ad nares, & os, ſcito, quod ipſa, non ex ſeipſa ſterilis eſt. *Hip. lib. V. Aph.* 59.

Quaecumque frigidos, & ſpiſſos Uteros habent non concipiunt. Et quaecumque praehumidos Uteros habent, non concipiunt: extinguitur enim in his genitura. Et quaecumque ſiccos multum, & praecalidos: nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. Quaecumque vero ex utriſque mediocrem habent temperaturã eae foecundae ſunt. *Hip. lib. V. Aph.* 62.

Similiter autem, & in Maribus. Aut enim propter corporis raritatem ſpiritus extra fertur, itaut ſemen non tranſmittat ad os, vel propter ſpiſſitudinem humor non exit foras, vel propter frigiditatem non concaleſcit, itaque in eo loco concreſcit, vel propter caliditatem hoc idem accidit. *Hip. lib. V. Aph.* 63.

Quae-

Quaecumque praeter naturam crassae non concipiunt Utero, iis omentum os Uteri comprimit: & priusquam extenuentur non concipiunt. *Hip. lib.V. Aph.* 46.

CAPUT V.

De Graviditate.

MUlierem Utero gerentem, capi ab aliquo acuto Morbo, lethale est. *Hip. lib.V. Aph.*30.

Gravidas purgare, turgente materia, a quarto mense, usque ad septimum, minus vero has. Recensiores autem, & Seniores Foetus cavere oportet. *Hip. lib. V. Aph.*29.

Mulier Utero gerens, sanguine misso ex vena, abortit, & praecipue si Foetus sit grandior. *Hip. lib.V. Aph.*31.

Mulieri in Utero gerenti, si Alvus plurimum profluat, periculum est ne abortiat. *Hip. lib. V. Aph.* 34.

Mulieri Utero gerenti, si mammae graciles repente fiant, abortit. *Hip. lib.V. Aph.* 37.

Mulieri Utero gerenti, & Geminos, haben-

benti; si altera mamma gracilis fiat; alterum abortit; & si quidem mamma dextera gracilis fiat; Marem: si vero sinixtra; Foeminam. *Hip.lib.V. Aph.*38.

Si velis noscere, an conceperit Mulier: cum dormitura est, ei aquam Mulsam potandam da; & si Alvi tormina patietur, concepit; si minus, non concepit. *Hip. lib.V. Aph.* 41.

Mulier gravida, si Marem concepit, bene colorata est; si vero Foeminam, male colorata. *Hip. lib.V. Aph.*42.

Si Mulieri gravidae in Utero fiat Erysipelas, lethale. *Hip.lib.V. Aph.*43.

Quaecumque praeter naturam tenues existentes Utero gerunt, abortiunt, priusquam crassescant. *Hip. lib.V. Aph.*44.

Quaecumque mediocriter corpora habentes abortiunt; secundo, aut tertio Mense; sine occasione manifesta, iis acetabula Uteri plena mucoris sunt, & non possunt propter pondus Foetum continere, sed dirumpuntur. *Hip.lib.V. Aph.* 45.

Quae Utero gerunt, iis Uteri os comprimitur. *Hip.lib.V. Aph.*51.

Mulieri Utero gerenti, si lac multum à mam-

mammis efluat, Foetum imbecillum ſignificat. Si vero mammae ſolidae fuerint, Foetum ſignificat ſaniorem. *Hip. lib.V. Aph.* 52.

Quaecumque Utero gerentes a Febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt, ſine occaſione manifeſta, difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum facientes, periclitantur. *Hip.lib.V.Aph.*55.

Si Mulieri Utero gerenti purgationes procedant, impoſſibile eſt Foetum eſſe ſanum. *Hip. lib.V.Aph.*60.

Foetus Mares quidem in dextris, Foeminae vero in ſiniſtris magis. *Hip.lib.V.Aph.*48.

Mulieri Utero gerẽti, ſi Teneſmus ſupervenerit, facit Abortum. *Hip.lib.VII.Aph.*27.

Utero gerentes ſunt medicandae, ſi materia turget, quarto Menſe: & uſque ad ſeptimum, ſed hae minus: a Juniore autem Foetu, & Seniore abſtinere oportet. *Hip. lib. IV. Aph.* 1.

Si Mulieri ceſſent purgationes, neque Febri, neque rigore ſuperveniente, & faſtidia cibi incidant, judica ipſam in Utero habere. *Hip. lib.V.Aph.*61.

Mulieri ſi lac ex mammis profluit imbecillum eſt, quod intus gerit, durae mam-

mammae, ſanum illud eſſe teſtantur. *Corn. Celſ. lib. II. cap.7.*

In Gravidarum Vomitionibus, nec opiata, nec adſtringentia conveniunt, cum totum negotium tutius ſoli naturae relinquetur. *VValdſchmidt.*

CAPUT VI.

De Abortu.

QUaecumque praeter naturam tenues exiſtentes Utero gerunt, abortiunt, prius quam craſſeſcant. *Hip. lib. V. Aph.*44.

Quaecumque mediocriter corpora habentes abortiunt ſecundo, aut tertio menſe, ſine occaſione manifeſta, iis acetabula Uteri plena mucoris ſunt, & non poſſunt propter pondus Foetum continere, ſed dirumpuntur. *Hip. lib. V. Aph.* 45.

Quaecumque Utero gerentes a Febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt, ſine occaſione manifeſta, difficulter pariunt, & cum periculo, aut Abortum facientes, periclitantur. *Hip. lib. V. Aph.*55.

Mu-

Mulieri Utero gerenti, si Tenesmus supervenerit, facit Abortum. *Hip. lib. VII. Aph.* 27.

Si vero Hyems australis, & pluviosa (& serena) fuerit; Ver autem siccum, & Aquilonium, Mulieres, quibus partus in Ver incidit, ex quacumque occasione abortiunt: quae vero pariunt, imbecilles, & morbidos Infantes pariunt, quare vel statim intereunt, vel tenues, & valetudinarii vivunt. Caeteris vero mortalibus, Difficultates Intestinorum, & Lippitudines siccae fiunt; Senioribus autem Distillationes, quae cito interiment. *Hip. lib. III. Aph.* 12.

CAPUT VII.

De Partu difficili, Foetu mortuo, & Secundinarum retentione.

MUlieri quae uterinis molestatur, aut difficulter parit, superveniens Sternutatio, bonum. *Hip. lib. V. Aph.* 35.

Ut Secundinae procidant, sternutatorio ap-

apposito, nares comprime, & os. *Hip.lib.V.Aph.*49.

Quaecumque Utero gerentes, a Febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt, sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo, aut Abortum facientes, periclitantur. *Hip.lib.V. Aph.*55.

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Partum difficilem, Foetumque mortuum sententiae proponuntur.

I. ALvus constipata reddit partum difficiliorem: hinc clysmata egregie prosunt in partus difficultate. *VValdschmidt.*

II. Si Foetus situ praeter naturali egredi conetur, stolidum est expellentibus velle uti remediis. *VValdschmidt.*

III. Nulla danda sunt remedia Foetum expellentia, nisi ubi jam omnia ad partum fuerint disposita, hoc est antequam aqua efluxerit, & os uteri fuerit

rit apertum. *VValdſchmidt*.

IV. Frigus omnibus Parturientibus obnoxium exiſtimatur. *VValdſchmidt*.

V. Si Foetus fuerit mortuus, ſatius eſt eum fruſtulatim extrahere, quam ad Matris internecionem uſque eum relinquere. *VValdſchmidt*.

VI. Si Foetus per tres, vel quatuor dies haeſerit in partu, merito habetur pro mortuo. *VValdſchmidt*.

VII. Quae Sanguinis ſpiritueſcentiam promovent, Partum accelerant. *Valdſch.*

VIII. Fomenta, balnea, juſcula lubricantia, optima ſunt. *VValdſchmidt*.

IX. Inter partum promoventia excellunt, *ſuccinata, cinnaberina, borax, aqua Meliſſae, pulegium, cinnamomum, aqua epileptica Langi &c.*. *VValdſchmidt*.

X. Non omnes dolores ſunt dolores Partus; dantur enim dolores ſpurii, qui ad ſpaſmos inteſtinales referri ſolent, *VValdſchmidt*.



CA-

CAPUT VIII.

De Puerperis, earumque Lochiis, juxta Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt sententias.

I. QUies eſt imperanda. *VValdſchm.*

II. Somno non ſtatim indulgendum. *VValdſchmidt.*

III. Morbi Puerperarum ad unum fere omnes ex mala victus ratione, & ex frigoris ſucceptione ortum trahunt. *VValdſchmidt.*

IV. Puerperae tractari debent, quemadmodum graviter vulnerati tractari ſolent. *VValdſchmidt.*

V. Frigus peſtis Puerperarum eſt. *VVald.*

VI. Non ſtatim debent ſatiari cibis. *VValdſchmidt.*

VII. Terror mille malorum eſt Auctor. *VValdſchmidt.*

VIII. Purgantia veluti ipſum venenum fugienda. *VValdſchmidt.*

IX. Potus ſemper ſit tepidus. *VValdſchm.*

X. Opti-

X. Optimum praeſervativum eſt, ſi Puerpera, corpore exiſtente quieto, & mente tranquilla ad diem undecimum uſque in lecto detineatur. *Waldſchmidt.*

XI. Melius eſt Alvum primis diebus ſiccam eſſe, rite interim fluentibus Lochiis, quam ſi Diarrhoea coincidat, quae ſemper monſtri quid alit. *Waldſchmidt.*

XII. Plus enim periculi a remediis refrigerantibus, etiam ubi intenſus adeſt calor, quam a calidis. *VVadſchmidt.*

XIII. Si Lochia non rite fluant detur *tinctura myrrhae*, *ſperma Coeti*, *tinctura ſuccini cum myrrha*. *VValdſchmidt.*

XIV. Puerperae febricitantes facile fiunt Epilepticae; quod probe notandum, ut ſemper ad futura graviora mala in medendo reſpiciamus. *V Valdſchmidt.*

XV. Dolor poſt Partum, vel a ſpaſmo, vel a grumis ſanguinis dependet, unde probe conveniunt, *Oleum amygdalarum dulce*, *Elixir proprietatis*, *Sperma Coeti*, *&c.* Externe *ung. carminat. Mynſ.*. *Waldſchmidt.*

XVI. Aër frigidus quocumque modo admiſſus, nocet. *VValdſchmidt.*

XVII. Ad lac exiccandum convenit *chae-*

refolium cum *butyro* frixum foris impositum. *VValdſchmidt.*

XVIII. Statim reſtaurans aliquod quammaxime confert. *VValdſchmidt.*

XIX. Febre multoties Puerperae corripiuntur, unde reſpiciendum erit ad Lochia, & ejuſmodi danda ſunt remedia, quae horum fluxum promoveant. Nam attendendum eſt ad id quod magis urget, altero vero non neglecto. *Waldſchmidt.*

XX. Vomitus Puerperarum mature ſunt ſiſtendi, cum ſaepius alias ex inſidiis trucident. *VValdſchmidt.*

XXI. In Puerperis Febre continua correptis Diſpnoea, vel reſpiratio difficilis, ſemper Monſtri quid alit, & fere omnes moriuntur. *Waldſchmidt.*



NO-

NOVUS APHORISMORUM ORDO,

PARS SEXTA,

De Morbis Puerorum.



Isdem fere morbis, quibus Adultiores ſunt obnoxii, ſubjacent etiam Pueri; frequentius autem tentantur, qui tenellam habent aetatem.

CAPUT I.

De Dentium eruptione, & Gingivarum pruritu.

IN progreſſu vero cum jam dentire incipiunt, Gingivarum prurigines, Febres, Convulſiones, Alvi profluvia, & maxime cum caninos edunt dentes, & iis praeſertim Pueris, qui craſſiſſimi ſunt, & alvos duras, habent. *Hip. lib. III. Aph.* 25.

In Tuſſi convulſiva Infantum ex dentitione difficiliore orta, omnibus remediis, Veſicatoria praeferunt. *Waldſchm.*

CAPUT II.

De Aphthis.

IN aetatibus autem talia contingunt: Parvis, & nuper natis Puerulis, Oris ulcera (quae Aphthae vocantur), Vomitus, Tuſſes, Vigiliae, Pavores, Umbilici inflammationes, Aurium humiditates. *Hip. lib.III.*, *Aph.*24.

Aeſtate autem nonnulli horum, & Febres continuae, & Ardentes, & Tertianae febres, & Quartanae, & Vomitus, & Alvi profluvia, & Lippitudines, Oculorum, & Narium dolores, & Oris ulcerationes, Genitalium putredines, & Sudores. *Hip. lib.III. Aph.*21.

Aphthae longe periculoſiſſima ſunt ulcera; ſed in Pueris, quos ſaepe conſumunt. *Cornel. Celſ. lib.V. cap.*11.

CA-

CAPUT III.

De Variolis, & Morbillis.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Variolas, & Morbillos ſententiae proponuntur.

I. IN Variolis, vel nihil dandum, vel parum. *Waldſchmidt*.

II. Plures moriuntur ob Variolarum copiam, pauci ob earumdem inopiam, ex quo ſolo ab uſu expellentium innoteſcit. *Waldſchmidt*.

III. Mature proſpice oculis, & faucibus. *Waldſchmidt*.

IV. Si eruptionem Variolarum juvare velis, contentus eſto remediis vulgaribus, Mulierculis etiam non ignotis, ut *ſemin.aquileg.,aq.fumar. &c. VValdſchmidt*.

V. Venae ſectionem merito ſuſpendimus. *Waldſchmidt.*

VI. In principio nocent ceu ipſum Venenum, omnia, quae ſanguinem magis exagitant, nempe calor Muſaei, vel Lecti, Ira, Vinum, omnia expellentia, ut ſatius ſit nihil tunc exhibere, niſi graviſſimum id jubeat Symptoma. *Waldſchmidt.*

VII. Poſt diem octavum, vel nonum tractato Aegrum, quaſi nova Febri jam correptum; ab eo enim tempore, ad diem 13., vel 14. uſque in maximo adhuc verſatur vitae periculo, imo ſaepius, quam in morbi principio, praeſertim ſi fuerit Adultus, itaque frequenter exhibenda ſunt illa, quae ſanguinis compagem ſartam, tectamque ſervare poſſunt, ut *Spirit. vitriol. parum refractus*, *aq. C. C.*, *julep. refrigerans*, *&c.* tantum enim abeſt, ut majorem aeſtum excitare debeamus, ut potius novum iſtum calorem febrilem compeſcere ſtudeamus. *Waldſchmidt.*

VIII. Ordinarie poſt quartum, vel quintum diem potui ordinario largius inſtillari debet *tinctur. roſar.*, vel *bellidis*, vel

vio-

violar.. Hae enim ſunt vera Variolarum anthidotus. *Waldſchmidt*.

IX. In acute Febricitantibus, vel Infantibus epilepticis, vel Variolis, Medicus ſemper quaerere debet, an Urina rite profluat, cum in his morbis maximo cum Aegrotantis periculo ſupprimi ſoleat. *Waldſchmidt*.



NOVUS APHORISMORUM ORDO.

PARS SEPTIMA.

De Morbis ad partem Chirurgicam Spectantibus.



HI enim Morbi potius ad Chirurgicam, quam ad Medicinae artem ſpectant, nihilo tamen minus, ut completam de Morbis doctrinam tradam, de his ſupereſt agendum.

CAPUT I.

De Tumoribus.

MOlles boni, crudi vero mali. *Hip. lib. V. Aph.* 67.

Tumores articulorum, atque dolores abſque Ulcere, Podagras, ac Convulſiones, horum plurima frigida aqua large effuſa levat, & extenuat, ſolvitque

que dolorem, nam modicus torpor dolorem ſolvit. *Hip. lib. V. Aph.* 25.

Eſſe Chirurgus debet Adoleſcens, aut certe adoleſcentiae propior, manu ſtrenua, ſtabili, nec unquam tremiſcente, eaque non minus ſiniſtra, quam dextra promptus, acie oculorum acri, claraque, animo intrepidus, immiſericors; ſic ut ſanari velit eum, quem accepit, non ut clamore ejus, motus, vel magis, quam res deſiderat properet, vel minus, quam neceſſe eſt ſecet, ſed perinde faciet omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur. *Cornel. Celſ. lib. VII. cap.* 406.

Hippocratis praeſagiorum Liber Primus.

TUmor mollis, dolorem non inferens, & digitis cedens, longiori tempore finitur, ſed non ita grave ab eo periculum pendet.

Quod ſi intra ſexaginta dies, neque febris deſinit, neque tumor reſedit, ſuppurationem expectare oportet.

Itaque durus, magnuſque tumor dolore cru-

crucians mortis periculum non multo post fore denunciat: mollis vero & sine dolore, quippe praementi digito cedit, longus esse solet.

Ventris tumores non tam crebro, ut hi, qui in praecordiis oriuntur abscessum efficiunt, quod si sub umbilico constituantur, nequaquam ad suppurationem convertentur.

Ubi vero viginti dies excesserint, neque quiescente Febre, neque tumore remisso, ad suppurationem convertuntur.

CAPUT II.

De Inflammatione.

RECto intestino, aut Utero Inflammationem patiente, Urinae stillicidium accidit, & Renibus purulentis, Urinae advenit stillicidium: Epati autem Inflammationem patienti, singultus advenit. *Hip. lib.V. Aph.*58.

In Epatis inflammatione Singultus, malum. *Hip. lib.VII. Aph.*17.

Se-

Selectiores Joannis Jacobi VValdschmidt circa Inflammationem sententiae proponuntur.

I. VEnae Sectio in quavis Inflammatione est administranda. *Waldschmidt.*

II. Quo gravior inflammatio est, eo magis leniri medicamento debet. *Waldsch.*

III. Si Evacuatio aliqua sanguinis sit suppressa, Venae Sectio locum habet, aliter dissolventia consulito. *Waldschmidt.*

IV. Purgantia in Inflammationis vigore fugienda. *VValdschmidt.*

V. Frigida, Iram, & Terrorem semper nocent. *VValdschmidt.*

VI. Externe mitiora applicanda. *VValdst.*

CAPUT III.

De Abscessu.

QUicumque suppurati, aut aquam intercutem Patientes, uruntur, aut se-

ſecantur, ſi pus, aut aqua univerſim fluxerit, omnes moriuntur. *Hip.lib.VI. Aph.* 27.

Quibuſcumque ſuppuratio in corpore exiſtens non innoteſcit, iis ob craſſitudinem puris, aut loci non innoteſcit. *Hip. lib.VI. Aph.*41.

Quicumque ſuppurati uruntur, vel ſecantur, ſi pus purum fluxerit, & album, evadunt: ſi vero ſubcruentum, & foeculentum, ac foetidum, pereunt. *Hip. lib.VII. Aph.*44.

Quorum Epar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum fluxerit, & album, evadunt; in tunica enim his pus continetur: ſi vero qualis amurca fluat, pereunt. *Hip. lib.VII.*, *Aph.*45.

Quibus autem Convaleſcentibus ex Morbo pars aliqua dolet, ibi fiunt abſceſſus. *Hip. lib.IV. Aph.*32.

In Febribus, Abſceſſus qui ad primas judicationes non ſolvunt, longitudinem Morbi ſignificant. *Hip. lib. IV.Aph.* 51.

Quibus ſperatur Abſceſſus futurus ad articulos, eos liberat ab Abſceſſu urina multa, craſſa, & alba, qualis in laborioſis Febribus quarto die quibusdam

in-

incipit fieri. Si vero ex naribus fluxerit sanguis, brevi admodum solutio fit. *Hip. lib.IV. Aph.*74.

Quicumque Morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio, & quicumque ex evacuatione, repletio: & aliorum contrarietas. *Hip.lib.II. Aph.*22.

Dum pus conficitur, dolores & Febres accidunt magis, quam jam confecto. *Hip.lib.II.Aph.*47.

A tuberculi introrsum ruptione, Virium dejectio, Vomitio, aut Animi defectio fit. *Hip. lib.VII. Aph.*8.

Pus quo crassius & albidius est, eo periculi minus est. *Cornel. Cels.:lib.V.cap.*27.

CAPUT IV.

De Erysipelate.

ERysipelas ab exterioribus, verti ad interiora, non est bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum. *Hip. lib.VI. Aph.*25.

Ab Erysipelate Putredo, aut Suppuratio, malum. *Hip. lib.VII. Aph.*20.

Ex ossis nudatione Erysipelas. *Hip.lib.VII. Aph.*19.

Si

Si Mulieri gravidae in Utero fiat Eryſipelas, lethale. *Hip. lib.V. Aph.* 43.

In his frigido eſt utendum, unde fluit ſanguis, aut fluxurus eſt, non ad ipſa admoto, ſed circa ea, unde influit, & ubicumque inflammationes, aut veluti incendia quaedam ad rubrum, & floridum, ſanguine recente, tendunt, iis ipſis admoto: nam veteribus nigredinem affert: Eryſipelas etiam non ulceratum juvat: nam exulceratum laedit. *Hip. lib.V. Aph.*23.

Selectiores Joannis Jacobi VValdſchmidt circa Eryſipelas ſententiae proponuntur.

I. VEnae Sectio in quavis inflammatione eſt adminiſtranda. *VValdſchmidt.*

II. Purgantia in vigore inflammatorio ſemper nocent. *VValdſchmidt.*

III. Fuge omnia frigida, terrorem, & iram. *VValdſchmidt.*

IV. *Pulvis Erypelatoſus Mynſ.*, *farina ſi-*

liquiritiae, cum *stuppa cannabina*, praesertim in Erysipelate mammarum egregie juvat. *VValdschmidt*.

V. Vinum fugito. *VValdschmidt*.

VI. Externa mitiora applicanda, ut *rob. Sambuc.*, *allium*, *aq. flor. Sambuc.* cum tantillo *spirit. vin.*, *theriacal.*, *&c.* *VValdschmidt*.

CAPUT V.

De Cancro.

CAncros occultos habentes melius est non curare, curati enim cito pereunt, non curati vero longius tempus perdurant. *Hip. lib. VI. Aph.* 38.

Quae medicamenta non sanat, *ea* ferrum sanat. Quae ferrum non sanat, *ea* ignis sanat. Quae vero ignis non sanat, *ea* insanabilia existimare oportet. *Hip. lib. VIII. Aph.* 6. ex additis in *lib. II.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Omnis Cancer non solum id corrumpit, quod occupavit, sed etiam serpit. *Cornel. Cels. lib. V. cap.* 26.

Cancri initium quidem recipit curationem,

ubi vero penitus insedit insanabile est, plurimique sub frigido sudore moriuntur. *Cornel. Cels. lib.V. cap.26.*

CAPUT VI.

De Aneurismate, & Varicibus.

IN Insanientibus, si Varices, vel Haemorrhoides supervenerint, Insaniae solutio. *Hip. lib.VI. Aph.21.*

Quicumque calui sunt, iis magnae Varices non fiunt. Quibus vero caluis, Varices magnae superveniunt, ii rursus capillati fiunt. *Hip.lib.VI. Aph.34.*

Quae Medicamenta non sanat, *ea* ferrum sanat, quae ferrum non sanat, *ea* ignis sanat, quae ignis non sanat, *ea* insanabilia existimare oportet.. *Hip. lib.VIII. Aph.6.* ex additis *in lib.VII.*, ut ait Nicolaus Leonicenus.

CAPUT VII.

De Vulneribus in genere.

SI in Vulneribus fortibus, & pravis, tumores non appareant, ingens malum.

lum. *Hip. lib. V. Aphor. 66.*

Quibuſcumque per Morbos acutos, vel diuturnos, aut Vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti ſanguis niger, per inferiora ſubſederit, poſtridie moriuntur. *Hip. lib. IV. Aph.* 23.

Periculoſa Vulnera ſunt, ubicumque Venae majores ſunt, quoniam exhaurire hominem profuſione Sanguinis poſſunt. *Cornel. Celſ. lib. V. cap.* 26.

Si lividus, aut pallidus, aut varius, aut niger color eſt: ſcire licet, malum vulnus eſſe. *Cornel. Celſ. lib. V. cap.* 26.

Album, aut rubicundum eſſe vulnus, commodiſſimum eſt. *Cornel. Celſ. ibidem.*

Optimum Medicamentum, quies eſt. *Cornel. Celſ. ibidem.*

CAPUT VIII.

De Vulneribus Capitis.

VEſica diſciſſa, aut Cerebro, aut Corde, aut Praecordiis, aut aliquo ex tenuioribus Inteſtinis, aut Ventriculo, aut Jecore, lethale eſt. *Hip. lib. VI. Aph.* 18.

Quibuſcumque praeciditur Cerebrum, iis neceſſe eſt Febrem, & bilis Vomitum ſupervenire. *Hip. lib.VI. Aph.*50.

Ex capitis ictu Obſtupeſcentia,& Deſipientia, malum. *Hip. lib.VII. Aph.*14.

Quibus Cerebrum aliqua ex cauſsa concuſſum fuerit, neceſſe eſt ſtatim mutos fieri. *Hip. lib. VII. Aph.*58.

Si in Ventrem ſanguis praeter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari. *Hip. lib. VI. Aph.*20.

Percuſſa Calvaria protinus requirendum eſt, num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus obcoecati ſint, num obmutuerit, num per nares, aureſve ſanguis ei effluxerit, num conciderit, num ſine ſenſu, quaſi dormiens jacuerit. *Cornel. Celſ. lib.VIII. cap.* 4.

CAPUT IX.

De Vulneribus Pectoris.

VEſica diſciſſa, aut Cerebro, aut corde, aut Praecordiis, aut aliquo ex tenuioribus Inteſtinis, aut Ventriculo, aut Jecore, lethale eſt. *Hip. lib. VI. Aph.*18.

Si

Si in Ventrem ſanguis praeter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari. *Hip. lib. VI. Aph.*20.

CAPUT X.

De Vulneribus Abdominis.

SI Omentum excidat, neceſſario putreſcit. *Hip. lib.VI. Aph.* 58.

Veſica diſciſſa, aut Cerebro, aut Corde, aut Praecordiis, aut aliquo ex tenuioribus Inteſtinis, aut Ventriculo, aut Jecore, lethale eſt. *Hip.lib.VI. Aph.*18.

Si in Ventrem ſanguis praeter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari. *Hip. lib.VI. Aph.*20.

Si quod Inteſtinorum gracilium diſcindatur, non coaleſcit. *Hip. lib.VI.Aph.*24.

CAPUT XI.

De Nervorum, & Tendinum Vulneribus.

CUm diſciſſum fuerit Os, aut Cartilago, vel Nervus, aut gaenae particula tenuis, vel praeputium, neque au-

getur, neque coaleſcit. *Hip. lib. VI. Aph.*19.

Quando Os, aut Cartilago, aut Nervus abſcinditur in Corpore, neque augetur, neque coaleſcit. *Hip. lib. VII. Aph.*28.

Convulſio ex Vulnere, lethalis eſt. *Hip. lib. V. Aph.*2.

CAPUT XII.

De Ulceribus in genere.

ULceribus frigidum quidem mordax, Cutem obdurat, Dolorem inſupportabilem facit, Livorem inducit, Rigores febriles, Convulſiones, Tetanos. *Hip. lib. V. Aph.* 20.

Calidum ſuppuratorium, non in omni Ulcere magnum ad ſecuritatem eſt indicium, Cutem mollit, extenuat, Dolorem ſedat, Rigores, Convulſiones, & Tetanos mitigat, Capitis ſolvit gravitatem: plurimum autem confert oſſium fracturis, ſed nudis praecipue, eorumque maxime, qui in capite Ulcera habent, & quaecumque a frigore moriuntur, vel ulcerantur, & herpetibus

exe-

exedentibus, Sedi, Pudendis, Utero, Vesicae: His calidum amicum, & judicans, frigidum inimicum, & perimens. *Hip. lib. V. Aph.*22.

Quibus tumores in Ulceribus apparent, non admodum convelluntur, neque insaniunt: verum his evanescentibus de repente, illis quidem quibus a tergo Convulsiones, & Tetani fiunt, quibus autem a fronte, Insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi. *Hip. lib. V. Aph.*65.

Aqua intercute laborantibus, Ulcera in corpore facta, difficulter sanantur. *Hip. lib. VI. Aph.*8.

A forti in Ulceribus pulsu, profluvium sanguinis, malum. *Hip. lib. VII. Aph.*21.

Ulcera circumglabra prava sunt. *Hip. lib. VI. Aph.*4.

In Ulceribus annuis, aut etiam diuturnioribus, abscessum cum osse communicari est necesse, & cicatrices cavas fieri. *Hip. lib. VI. Aph.*45.

In osse aegrotante caro livida, malum est. *Hip. lib. VII. Aph.* 2.

Vetus Ulcus scalpello circumcidendum

eſt, excidendaeque ejus orae, & quicquid ſuper eas livet, aeque incidendum. *Corn. Celſ. lib.V. cap.26.*

Peſſima quaeque plaga curua eſt: tutiſſima, quae lineae modo recta eſt. *Cornel. Celſ. lib.V. cap.25.*

Ulcus, ſive ante, ſive in ipſo Morbo natum eſt, obſervari debet, nam ſi moriturus eſt Homo, aridum, & livens, aut pallidum ante mortem apparet. *Hip. praeſag. lib. I.*

CAPUT XIII.

De Fracturis.

IN oſſis praeciſione Deſipientia, ſi in vacuum appraehenderit. *Hip. lib.VII. Aph. 24.*

Quando Os aut Cartilago, aut Nervus abſcinditur in Corpore, neque augetur, neque coaleſcit. *Hip. lib.VII. Aph.28.*

Cum diſciſſum fuerit Os, aut Cartilago, vel Nervus, aut gaenae particula tenuis, vel praeputium, neque augetur, neque coaleſcit. *Hip. lib.VI. Aph.19.*

CA-

CAPUT XIV.

De Gangraena, & Sphacelo.

IN osse aegrotante caro livida, malum est. *Hip. lib.VII. Aph.*2.

Quibus Cerebrum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt: si vero hos evaserint, sani fiunt. *Hip. lib.VII.Aph.*50.

A Corruptione, abscessus ossis. *Hip. lib. VII. Aph.*79.

Morbi in pluviarum multitudine, magna ex parte fiunt, Febres longae, Alvi profluvia, PUTREDINES, Morbi Comitiales, & Apoplexiae, & Anginae. In siccitatibus autem Tabitudines, Lippitudines, Articulorum dolores, Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum. *Hip. lib. III. Aph.*16.



CAPUT XV.

De Signis ex Aegrotantium oculis desumendis.

OPortet vero considerare oculorum in dormientibus suspectiones: nam si quid album commissis palpebris subiispicitur, neque ex Alvi profluvio, aut Medicamenti potione istud contingat, malum est signum, & lethale valde. *Hip. lib.VI. Aph.*52.

Quibus in Infirmitatibus oculi ex proposito (*ob causam*) lacrymantur, bonum; quibus vero sine causa, malum. *Hip. lib.VIII.Aph.*2. ex additis in *lib.VII.*ut ait Nicolaus Leonicenus.

Hippocratis praesagiorum Liber Primus.

SI lumen refugiunt, & illacrymant, idque praeter voluntatem, aut pervertuntur, alterque ex iis minor est, & quae in ipsis alba esse debent, rubescunt, aut gaenae pallent, atque in iisdem ve-

venulae nigricant, aut lippitudo innatans, tandem angulis inhaeret, aut frequens est oculorum motus, iique aut vehementer subsederunt, aut facti tumidiores sunt, fueritque aspectus horridus, obscurusque, atque universae faciei color mutatus: haec omnia signa mala, perniciosaque putanda sunt.

Si palpebra, aut Labrum, aut Nasus retorquetur, aut pallet, aut livore inficitur, accedente quopiam reliquorum signorum, Aegrum morti proximum esse, haud dubitandum est. Mortem etiam portendunt Labra resoluta, suspensa, frigida, candicantia.

Quin etiam oculorum per somnum suspectiones observandae sunt. Ubi enim palpebrae non committuntur, sed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, neque id fluens Alvus, aut Medicamenti potio praecessit, praesertim si quis non sic dormire consueverit, pravum hoc signum, lethale quoque admodum est.

CAPUT XVI.

De Signis a Sputo.

Hippocratis praesagiorum. Liber Secundus.

IN Pulmonis, costarumque doloribus, oportet, ut sputum celeriter, facilique escreetur.

Mali Morbi testimonium est, quodammodum viride, quodque spumosum est.

Omne sputum, quod dolorem non mitigat, malum est; Nigrum, ut supra demonstravimus, pessimum est, sed longe saluberrimum est id, quod dolorem placat.

Sputum cruentum, cui paulum sanguinis admixtum est in morbi principio inflammato Pulmone projectum, securitatem, atque auxilium pollicetur, quod vero ad septimum usque diem, longiorive spatio tale apparet, non adeo tutum est.

In omnibus Morbis distillatio, sternutamentumque, sive praefuerint, sive supervenerint periculum ostendunt,

quam-

quamquam in caeteris morbis vel periculosissimis, utilitate carent.

CAPUT XVII.

De Signis a Sudore desumendis.

A Sudore, horror, non bonum. *Hip. lib.VII. Aph.* 4.

Sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens, repletionem humoris esse significat; abducere igitur oportet, Robusto quidem superne, Debili vero inferne. *Hip. lib.VII. Aph.* 63.

Frigidi Sudores cum acuta quidem febre, mortem; cum mitiori vero longitudinem Morbi significant. *Hip. lib. IV. Aph.*37.

Et qua parte corporis Sudor est, ibi significat Morbum esse *Hip. lib.IV. Aph.* 38.

Sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens, frigidus, magis, calidus, minus significat Morbum. *Hip.lib.IV. Aph.*42.

Sudor multus ex somno factus, absque causa manifesta, corpus uti pluri cibo significat; si vero cibum non accipienti hoc

hoc accidat, ſcire oportet, quod evacuatione indiget. *Hip. lib.IV. Aph.*41.

Hippocratis praeſagiorum Liber Primus.

SUdores ſaluberrimi cenſentur in omnibus acutis Morbis, ſi in diebus decretoriis oriantur, febrimque finiant, aut ubi toto corpore aequaliter inſudante Aeger Morbus facilius ſuſtinere videtur. Contra inutiles, qui id efficere non valent. Peſſimi omnium ſunt frigidi,& ubi caput dumtaxat, aut facies, aut Cervix inſudat: quippequi in acuta quidem febre, mortem, in mitiori vero, Morbum diuturnum fore ſignificant.

Et qui per totum corpus eodem modo finiunt, qui circa caput, qui autem milii inſtar,& circa collum dumtaxat finiunt, mali; qui vero guttatim, boni. Conſiderare autem oportet ſudores in univerſum, alii enim propter corporis exolutionem, alii propter inflammationis vehementiam fiunt.

CA-

CAPUT XVIII.

De Signis ex alvinis excretis desumendis.

QUibus in Alvi profluviis, excrementa spumosa sunt, iis ex capite pituita defluit. *Hip. lib.VII. Aph.*30.

Et quibus dejectiones si stare permiseris,& non moveris, veluti strigmenta subsistunt: & si pauca sint, paucus est Morbus: quod si multa, multus: iis confert Alvi purgatio; quod si Alvo non purgata dederis sorbitiones, quanto plures dederis, tanto magis nocebis. *Hip. lib. VII. Aph.*69.

Quibuscumque cruda infra ejiciuntur, atra bilis inest: si plura, major: si pauciora, minor est Morbus. *Hip. lib. VII. Aph.*70.

Dejectiones nigrae sanguini atro similes, & sponte procedentes, sive cum febre, sive sine febre pessimae: & quanto colores pravi fuerint plures, eo deterius. A Medicamento vero procedentes meliores sunt, idque quanto plures fuerint colo-

colores non pravi. *Hip. lib.IV. Aph.*.21.

Quibuſcumque per Morbos acutos, vel diuturnos, aut Vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti ſanguis niger per inferiora ſubſederit, poſtridie moriuntur. *Hip. lib.IV. Aph.*23.

Quibus bilioſae ſunt dejectiones, hae, ſuperveniente ſurditate, ceſſant, & quibus ſurditas adeſt, ſupervenientibus bilioſis dejectionibus, ceſſat. *Hip. lib. IV. Aph.* 28.

Hippocratis praeſagiorum Liber Secundus.

ALvi excrementa inter bona indicia ſunt, ſi mollia, ſi figurata ſunt, ſi eodem fere tempore, quo in ſecunda valetudine dejici ſolebant, excernuntur; ſi his, quae ingeruntur proportione reſpondent, utpote quae inferiorem ventrem recte valere declarat.

Si liquida extrementa alvina fuerint, praeſtat, ut ſine ſtridore, neque frequenter, neque ex brevibus intervallis dejiciantur, etenim fatigatur Aeger,

ſi

ſi crebro ſurgit, vigiliiſque conſumitur; cum vero affatim ſaepe dejici, ne animus eum deficiat, periculum eſt.

Convenire debent excrementa iis, quae aſſumuntur, & bis, terve interdiu, noctu vero ſemel dejici, idque maxime matutinis temporibus pro cujuſque conſuetudine.

Ad finem jam tendente Morbo, bonum eſſe, ſi craſſiora reddantur.

Periculoſum ſtercus eſt, quod perliquidum, albicans, pallidum, aut rufum, aut ſpumans eſt, malum quoque eſt, quod exiguum, & glutinoſum excernitur.

Omnium maxime lethiferum eſt, nigrum, pingue, livens, aut quod pejoris eſt odoris, quam pro conſuetudine.

CAPUT XIX.

De Signis ex Urinis deſumendis.

QUibus autem in urinis linioſa ſedimina, ac ſuperne tenues ſunt, acutum Morbum ſignificant. *Hip. lib. VII. Aph.* 32.

Qui-

Quibuſcumque urinae divulſae ſunt, iis turbatio fortis in corpore fit. *Hip. lib. VII. Aph.*33.

Quibus in urinarum ſummo bullae inſident, morbum renalem, & longum ſignificant. *Hip. lib. VII. Aph.* 34.

Quibus autem ſummum eſt pingue, & confertum, iis Renum dolor, & Morbus eſſe acutus ſignificatur. *Hip. lib. VII. Aph.* 35.

Quae per veſicam excernuntur inſpicere oportet, ſi talia ſunt, qualia ſanis excernuntur. Quae igitur minime ſimilia ſunt iis, haec morboſiora. Quae vero ſunt ſanis ſimilia, haec minime morboſa. *Hip. lib. VII. Aph.*68.

Quibus Febricitantibus urinae ſunt perturbatae, quales jumentorum, iis dolor capitis, vel adeſt, vel aderit. *Hip. lib. IV. Aph.*70.

Quibus ſeptimo die fit criſis, iis nubecula rubea quarto die in urina apparet, & alia ex ratione. *Hip. lib. IV. Aph.*71.

Quibus urinae albae ſunt, & perſpicuae, malae: praeſertim vero, ſi in phreneticis appareant. *Hip. lib. IV. Aph.*72.

Si ſanguinem, aut pus mingat, renum,

aut

aut Vesicae exulcerationem significat *Hip. lib.IV. Aph.*75.

Quibus cum Urina crassa carunculae parvae,aut velut capilli,una exeunt,iis a renibus excernuntur, *Hip. lib.IV. Aph.*76.

Quibus cum Urina crassa furfurea quaedam simul exeunt, iis Vesica scabie laborat. *Hip. lib.IV. Aph.*77.

Quicumque sponte Sanguinem mingunt, iis a renibus venula rupta significatur. *Hip. lib.IV. Aph.*78.

In quorum Urinis arenosa subsistunt, iis vesica laborat calculo. *Hip. lib. IV. Aph.*79.

Si Sanguinem, & pus mingat, & Squamulas, & gravis odor adsit, Vesicae exulcerationem significat. *Hip. lib.IV. Aph.* 81.

Mictio noctu plurima contingens, paucam significat dejectionem. *Hip.lib.IV. Aph.*83.

Si Sanguinem mingant, & Grumos, & Stillicidium Urinae habeant, & dolor in imum incidat Ventrem,& pectinem, & interfoemineum, ad Vesicam labor est. *Hip.lib.IV. Aph.*80.

Quibuscumque Febricitantibus in urinis

fiunt ſedimina, veluti farina craſſior, longam aegritudinem fore ſignificat. *Hip. lib. VII. Aph.* 31.

Urina rubra, & tenuis in magna cruditate eſſe conſuevit. Peſſima tamen eſt, praecipueque mortifera, nigra, craſſa, mali odoris; Alvus quoque varia, & diſcreta reddens, peſtifera eſt: Sed Aegrum in praecipitii jam eſſe denunciat, quae liquida, eademque, vel nigra, vel pallida, vel pinguis eſt, utrimque ſi magna foeditas odoris acceſſit. *Cornel. Celſ. lib. II. cap.* 6.

Hippocratis praeſagiorum Liber Secundus.

SUbrubra urina, in qua ſubrubrum, leveque reſidet, quamquam ſuperiorem Morbum diuturniorem, eumdem tamen ſalubriorem fore declarat.

Mala eſt Urina, quum id, quod reſidet parti farinae craſſiori ſimile eſt, pejor vero ſi lamis; ac vituperatur quoque, alba, tenuiſque, quamquam longa majus periculum illa portendit, in qua quaedam tamquam furfuram reſident.

Ne-

Nebulae in urina ſuſpenſae albae, quidem bonae,nigrae vero malae ſunt;caeterum quoad Uurina rufa, tenuiſque apparuerit ; crudum morbum ſignificat.

Perniciofiſſima eſt urina, quae mali odoris, & diluta, & tenuis, & nigra, & craſſa eſt.

Si Urina tenuis & cruda, ſic diu fertur, ut reliqua ſigna ſalutaria ſint, plerumque infra ſeptum tranſverſum abſceſſus oriri ſolet.

Neque leviter terrere nos debet urina, cui pinguedo telis araneorum ſimilis innatat, quippe quae hominem Tabe conſumi ſignificat.

Nubecularum poſitum ſupremum locum, an infimum teneant, obſervare oportet; nam quae in ima parte conſtituuntur cum coloribus, quos ſupra propoſui bonae ſunt, atque laudantur: quae vero ſurſum attolluntur, malae, vituperandaeque ſunt: ſed cave, ne Veſica aliquo modo affecta ſi hujuſmodi reddiderit Urinas, te decipiat: tales enim non ad univerſum corpus, ſed ad ipſam dumtaxat veſicam referri debent.

CAPUT XX.

De Signis a Lingua desumendis.

SI Lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupida: tale eſt Melancholicum. *Hip. lib.VII. Aph.*40.

Lingua nigra, atque cruenta, ſi quid horum ſignorum abeſt, non valde malum: Morbum enim minorem declarat. *Hip.lib.VIII.Aph.*9.ex additis in *lib.VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Lingua ſordeſcens, utique ſuſpecta. *Waldſ.*

CAPUT XXI.

De Signis a Lacrymis desumendis.

QUibus in infirmitatibus oculi ex propoſito (*ob cauſſam*) lacrymantur bonum; quibus vero ſine cauſſa, malum. *Hip. lib.VIII. Aph.*2. ex additis in *lib.VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Iis, qui in Febribus, vel in aliis morbis ſpon-

ſponte illacrymant, nihil horribile accidit: qui vero non ſponte, horribilius. *Hip. lib. IV. Aph.* 52.

Mali Morbi teſtimonium eſt, ſine voluntate lacrymare. *Cornel. Celſ. lib. II. cap.* 4.

CAPUT XXII.

De Signis futurae Mortis.

UNgues nigri, & digiti manuum, & pedum frigidi, contracti, vel remiſſi, Mortem in propinquo eſſe oſtendunt. *Hip. lib. VIII. Aph.* 12. ex additis in *lib. VIII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Et qui in rabiem actus fuerit, intrepide, & non agnoſcit, & neque audit, neque intelligit, jam Moribundus eſt. *Hip. lib. VIII. Aph.* 16. ex additis in *lib. VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Morituris ſigna haec magis fiunt manifeſta, & ventres attolluntur, atque inflantur. *Hip. li. VIII. Aph.* 17. ex additis *in lib. VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

In Febre non intermittente, ſi Labrum, Palpebra, vel Supercilium, vel Oculus, vel Naſus pervertatur, vel non videat,

vel non audiat; jam debili existente corpore: quicquid horum evenerit, Mors proxima est. *Hip. lib.IV. Aph.*49.

Labia livida, aut etiam resoluta, & inversa, & frigida, lethalia. *Hip lib.VIII. Aph.*13. ex additis in *lib.VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Aures frigidae, pellucidae, contractae, lethales sunt. *Hip. lib.VIII. Aph.*14. ex additis in *lib.VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Terminus vero Mortis est, si Animae calor supra Umbilicum ad locum septo transverso superiorem ascenderit, & omne humidum fuerit combustum. Postquam Pulmo, & Cor humorem amiserint, calore in Mortiferis locis coacervato, caloris spiritus confertim exhalat, unde totum cum toto constitit. Rursus partim quidem per carnes, partim vero per spiracula in capite, unde vivere dicimus, relinquens Anima Corporis tabernaculum, & frigidum, & Mortale simulacrum, una cum bile, & Sanguine, & pituita, & carne deditione tradit. *Hip. lib.VIII. Aph.*18. ex additis in *lib.VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Hip-

Hippocratis praesagiorum Liber Primus.

NAres acutae, Oculi concavi, collapsa tempora; frigidae, contractaeque aures, & imis partibus leviter versae.

Cutis circa frontem dura, intensa, & arida, totius faciei color, aut niger, aut pallidus, aut lineus, aut plumbeus.

Quod si inter morbi initia, hujusmodi facies appareat, neque ex aliis indiciis conjectura sumi possit, inquirendum est, an Vigilia, aut Ventris vehemens resolutio, aut inaedia praecesserit: quorum si quidpiam deprehenderis, nihil periculi timendum est, atqui si ab hujusmodi caussis haec faciei species orta est, una die, nocteque finitur: si vero eas praecessisse Aeger negaverit, diutiusque jam dicto tempore haec forma duraverit, scire licet, eum Morti proximum esse.

Spiritus frequens, aut doloris, aut inflammationis in partibus septotransverso superioribus indicium est. Magnus, & ex longis intervallis delirium declarat.

Frigidus ex Naribus, & Ore prodiens, lethalis admodum eſt.

CAPUT XXIII.

De Morbis in Genere.

VIta, brevis, Ars longa, Occaſio praeceps, Experimentum periculoſum, Judicium difficile. Non ſolum autem ſeipſum praeſtare oportet opportuna facientem, ſed & Aegrum, & Aſſidentes, & Exteriora. *Hip. lib. I. Aph.*1.

Calidum, ubi quis ſepius eo utitur, haec mala affert, Carnis effoeminationem, Nervorum inbecillitatem, Mentes torporem, Profluvia Sanguinis, Animi defectionem: quibus Mors ſuccedit. *Hip. lib.V. Aph.*16.

Quaecumque refrigerata ſunt, excalefacere oportet, exceptis iis, quibus Sanguis fluit, aut fluxurus eſt. *Hip. lib.V. Aph.*19.

Aqua quae cito calet, & cito refrigeratur, leviſſima eſt. *Hip. lib.V. Aph.*26.

Qui noctu bibere appetunt, iis admodum ſitientibus, ſi ſuperdormierint, bonum. *Hip. lib.V. Aph.*27.

Qui-

Quibus cutes circumtenduntur aridae, & ſiccae, ſine ſudore moriuntur, quibus vero laxae, & rarae, cum ſudore moriuntur. *Hip.lib.V. Aph.*71.
Rigores incipiunt Mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorſum percurrunt ad caput; ſed & Viris parte corporis poſteriore magis, quam anteriore, veluti ex foemore, & cubito. Sed & cutis rara: indicio autem eſt pilus. *Hip. lib.V. Aph.* 69.
Quibus Nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra ſanitate fruuntur, quibus vero contraria ſalubrius degunt. *Hip. lib.VI. Aph.*2.
Dolores Laterum, Pectoris, & aliarum partium, ſi multum differant, ſunt conſiderandi, perdiſcendum. *Hip. lib.VI. Aph.*5.
Quaecumque ruptiones ex dorſo ad cubitum deſcendunt, Venae ſectio ſolvit. *Hip. lib.VI. Aph.* 22.
Quibus dolor circa hypochondrium fit abſque inflammatione, iis febris ſuperveniens, Morbum ſolvit. *Hip. lib.VI. Aph.*40.
Quibuſcumque Venae ſectio, vel Medica-

catio convenit, hos Vere purgare, vel Venam incidere oportet. *Hip. lib.VI. Aph.*47.

Quibuſcumque a Coxendicum dolore moleſtatis, cavitate ſua excidit Coxa, & rurſus recidit, iis mucores ſuperveniunt. *Hip. lip.VI. Aph.*59.

Quibuſcumque a Coxendicum dolore diuturno moleſtatis excidit Coxa, iis Crus tabeſcit, & claudicant, ſi non curantur. *Hip. lib.VI. Aph.*60.

Mulier ambidextra non fit. *Hip. lib.VII. Aph.* 43.

Sternutamentum fit ex Capite, calefacto Cerebro, aut humectato eo, quod in Capite inani. Aër enim intus contentus extra erumpit: ſonat autem, quoniam per anguſtum ipſi eſt exitus. *Hip. lib. VII. Aph.* 51.

Quibus Epar vehementer dolet, iis febris ſuperveniens, ſolvit dolorem. *Hip. lib.VII. Aph.* 52.

Quibus a Venis ſanguinem mittere confert, iis Vere Venam oportet ſecare. *Hip. lib.VII. Aph.*53.

Quibus inter Ventriculum, & Septumtranſverſum pituita repoſita eſt, & dolo-

lo-

lorem affert, non habens viam ad alterum ventrem: iis per Venas in Vesicam pituita versa, solvitur Morbus. *Hip. lib. VII. Aph.* 54.

Quibus Hepar aqua plenum in Omentum eruperit, iis Venter aqua repletur, & Moriuntur. *Hip. lib. VII. Aph.* 55.

Anxietudo, Oscitatio, Horror, Vinum aequale aequali potum, solvit aegritudinem. *Hip. lib. VII. Aph.* 56.

Quibus in Urinario meatu Tubercula fiunt: iis suppuratione facta, & eruptione, solvitur dolor. *Hip. lib. VII. Aph.* 57.

Corporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere convenit: fames enim Corpora siccat. *Hip. lib. VII. Aph.* 59.

Ubi toto Corpore fiunt mutationes, & Corpus refrigeratur; & rursus calefit, aut calorem alium ex alio commutat, longitudo Morbi significatur. *Hip. lib. VII. Ap.* 62.

Corpora oportet, ubi quis purgare voluerit, fluida facere; & si supra velis fluida facere, sistere Alvum: Si vero infra, humectare. *Hip. lib. VII. Aph.* 72.

Qualia fuerint Vesicae, aut Alvi excrementa, & ex carnibus, & sicubi alibi

a na-

a natura Corpus exierit, ſi parum, paucus eſt Morbus; ſi multum, multus, ſi valde multum, lethale eſt. *Hip. lib.VII. Aph.*81.

Quae Midicamenta non ſanant, *ea* ferrum ſanat: quae ferrum non ſanat, *ea* ignis ſanat; quae vero ignis non ſanat, *ea* inſanabilia exiſtimare oportet. *Hip. lib.VIII. Aph.* 6. ex additis in *lib.VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

Sudores in diebus criticis oborientes vehementes, & veloces, periculoſi; & qui expelluntur ex fronte, veluti guttae, & aquae ſalientes, & frigidi valde, ac Multi; neceſſe enim eſt talem ſudorem prodire cum violentia, & laboris exceſſu, & expreſſione diuturna. *Hip. lib.VIII. Aph.*4. ex additis in *lib.VII.* ut ait Nicolaus Leonicenus.

In medicationibus, talia educere e corpore, qualia ſponte prodeunt, utile. Quae vero contrario modo prodeunt, cohibere oportet. *Hip. lib.IV. Aph.*2.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leviter ferunt. Contraria vero graviter. *Hip. lib.IV. Aph.*3.

Medicari Aeſtate ſuperiores magis, Hyeme

me vero inferiores. *Hip. lib.IV. Aph.*4.

Sub Cane, & ante Canem, difficiles ſunt medicationes. *Hip.lib.IV. Aph.*5.

Graciles, & facile Vomentes purgare ſuperius, caventes Hyemem. *Hip.lib.IV. Aph.*6.

Vomentes vero difficulter, & mediocriter carnoſos per inferiora caventes Aeſtatem. *Hip.lib. IV. Aph.*7.

Melancholicos vero plenius per inferiora; eadem ratione contraria apponentes. *Hip. lib.IV. Aph.*9.

Medicari in Valde acutis, ſi materia turget, eadem die; tardare enim in talibus, malum eſt. *Hip.lib.IV. Aph.*10.

Qui non facile per ſuperiora purgantur, ad Veratrum admittendi ſunt pleniore cibo, & quiete, corporibus ante potionem humectatis. *Hip.lib.IV. Aph.*13.

Cum biberit quis helleborum ad motiones quidem corporum ducere magis; ad ſomnos vero, atque quietem:minus. Indicat autem navigatio turbari motione corpus, *Hip. lib.IV. Aph.*14.

Cum voles haelleborum magis ducere, move corpus; cum vero ſiſtere, ſomnum inducito, nec moveto. *Hip.lib.IV. Aph.*15.

Car-

Carnes ſanas habentibus, haelleborus periculoſus; facit enim Convulſionem. *Hip. lib.IV. Aph.*16.

Dolores, qui ſunt ſupra praecordia, quicumque egent purgatione, medicari oportere per ſuperiora ſignificant: Quicumque autem infra ſubſiſtunt, per inferiora. *Hip. lib.IV.*, *Aph.*18.

Qui in medicamentis purgati non ſitiunt, non ceſſant, priuſqvam ſitiant. *Hip. lib.IV. Aph.*19.

Non Febricitantibus ſi tormina acciderint, & genuum gravitas, & lumborum dolor, purgari per inferiora oportere ſignificatur. *Hip.lib.IV. Aph.*20.

Morbis quibuslibet incipientibus, ſi atrabilis, vel ſuperne, vel inferne, exierit, lethale. *Hip. lib.IV. Aph.*22.

Quibus Febricitantibus Sanguinis fluxerit multitudo, quacumque ex parte cum reficiuntur, alvi iis humectantur. *Hip. lib.IV. Aph.*27.

Quibus linoſae ſunt dejectiones, hae, ſuperveniente Surditate ceſſant, & quibus ſurditas adeſt, ſupervenientibus biliofis dejectionibus ceſſat. *Hip. lib.IV. Aph.*28.

Et

Et qua parte Corporis calor, aut frigus, ibi Morbus est. *Hip. lib. IV. Aph.* 39.

Et ubi in toto corpore mutationes fiunt, si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel calor alius ex alio oriatur, longitudinem Morbi significat. *Hip. lib. IV. Aph.* 40.

Iis, qui in Febribus, vel in aliis Morbis sponte illacrymant, nihil horribile accidit; Qui vero non sponte, horribilius. *Hip. lib. IV. Aph.* 52.

Quibus in Febribus aures obsurduerunt, Sanguis ex naribus fluens, aut Alvus turbata, solvit Morbum. *Hip. lib. IV. Aph.* 60.

Quibus Hypochondria suspensa murmurant, Lumborum dolore superveniente, iis Alvi humectantur, nisi flatus erumpant, aut Urinae multitudo proveniat. Haec vero in Febribus. *Hip. li. IV. Aph.* 73.

Quibus in Urinaria phistula Tubercula nascuntur: iis Suppuratione facta, & eruptione, solutio advenit. *Hip. lib. IV. Aph.* 82.

Mictio noctu plurima contingens, paucam significat dejectionem. *Hip. lib. IV. Aph.* 83.

Ex

Ex Anni autem constitutionibus (*in universum*) Siccitates imbribus sunt Salubriores, & minus Mortiferae. *Hip. lib.III. Aph.*15.

Quotidianae autem constitutiones, Aquiloniae quidem cogunt Corpora firmiora, & agiliora, coloratiora, & melius audientia faciunt, & Alvos exiccant, Oculos mordent, & si Pectus dolor aliquis prius obsederit, Dolorem augent. Austrinae diffundunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggravant, & Vertigines faciunt, Oculis, atque Corporibus difficilem motum praestant, & Alvos humectant. *Hip. lib.III. Aph.*17.

Quantum ad tempora anni. Vere quidem, & prima Aestate Pueri, & qui hos proxime sequuntur aetate, optime degunt, & sani sunt maxime; Aestate vero, & Autumno aliquatenus Senes; per reliquum autem Autumnum, & Hyemem, qui mediam aetatem habent; *Hip. lib.III. Aph.*18.

Vere etenim Furores, & morbi melancholici, & Comitiales, & Profluvia Sanguinis, & Anginae, & Gravedines, &

Rau-

Raucedines, & Leprae, & Tusses, & Impetigines, & Vitiligines, & Pustulae ulcerosae plurimae, & Tubercula, & Articulorum dolores. *Hip.li.III.Aph.*20.

Aestate autem nonnulli horum, & Febres continuae, & Ardentes, & Tertianae febres, & Quartanae, & Vomitus, & Alvi profluvia, & Lippitudines Oculorum, & Aurium dolores, & Oris ulcerationes, Genitalium putredines, & Sudores. *Hip. lib.III. Aph.*21.

Autumno vero plurimi aestivi morbi fiunt, & Febres quartanae, & Erraticae, & Lienes, Aquae inter cutem, & Tabes, & Stillicidia urinae, & Difficultates intestinorum, & Laevitates intestinorum, & Coxendicum dolores, & Anginae, & Asthmata, & Volvuli, Morbi Comitiales, Furores, Melancholiae. *Hip. lib. III. Aph.*22.

Hyeme vero morbi Laterales, & Pulmonis Inflammationes, Gravedines, & Raucedines, Tusses, dolores Pectoris, Laterum, Lumborum, & Capitis, Vertigines, & Apoplexiae. *Hip. lib.III. Aph.*23.

Morbi omnes quidem in omnibus tempo-

ribus fiunt, quidam vero magis in quibusdam ipsorum, & fiunt, & exacerbantur. *Hip. lib. III. Aph.*19.

In Aetatibus autem talia contingunt: Parvis, & nuper natis Puerulis, Oris ulcera, (quae Apthae vocantur,) Vomitus, Tusses, Vigiliae, Pavores, Umbilici inflammationes, Aurium humiditates. *Hip. lib. III. Aph.*24.

In progressu vero cum jam dentire incipiunt, Gingivarum prurigines, Febres, Convulsiones, Alvi profluvia, & maxime cum caninos edunt dentes, & iis, praesertim Pueris, qui crassissimi sunt, & alvos duras habent. *Hip. lib. III. Aph.*25.

Cum vero jam magis adoleverint, Tonsillae, & Vertebrae, quae est in occipitio ad interiora luxationes, Crebri Anhelitus, Calculi, Lumbrici rotundi, Ascarides, Verrucae, Satyrae, Stranguriae, Strumae, & alia tubercula, sed praecipue antedicta. *Hip. lib. III. Aph.*26.

Grandioribus autem, & jam accedentibus ad pubertatem plurima ex his, & Febres diuturnae magis, & ex naribus profluvia sanguinis. *Hip. lib. III. Aph.*27.

Plu-

Plurimi autem morbi Puerulis judicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, nonnulli in ſeptem menſibus, nonnulli vero in annis ſeptem; quidem vero jam ad pubem accedentibus. Qui vero permanſerint, nec in pubertate finierint, Puerulis, aut Foeminis, cum menſtrua erumpunt, conſeneſcere conſueverunt. *Hip. lib.III. Aph.*28.

Juvenibus autem Sanguinis ſpuitiones, Tabes, Febres acutae, Morbus Comitialis, & alii, ſed praecipue antedicti. *Hip. lib.III. Aph.*29.

Ultra hanc aetatem progreſſus Aſthma, morbi Laterales, Pulmonis inflammationes, Lethargi, Phrenitides, Ardentes febres, Diuturna profluvia, Cholerae, Difficultates, & Laevitates inteſtinorum, Haemorrhoides. *Hip. lib.III. Aph.*30.

Senibus ſpirandi difficultates, Diſtillationes cum tuſſi, Urinae Stillicidia, & Difficultates, Articulorum dolores, & Renum, Vertigines, Apoplexiae, Habitus corporis depravatio, Pruritus totius corporis, Vigiliae; Alvi, Oculorum, & Narium humiditates; Viſus obtuſus,

Glaucedines , Auditus graves . *Hip. lib.III. Aph.*31.

Spontaneae laſſitudines morbos praenunciant . *Hip. lib. II. Aph.* 5.

Si a morbo cibum aſſumens quis non corroboratur , pluri alimento corpus uti ſignificatur : Quod ſi non aſſumenti cibum hoc accidat , ſcire oportet , quod indiget evacuatione . *Hip. lib.II. Aph.*8.

Corpora cum Quiſpiam purgare voluerit , oportet fluida facere . *Hip. lib.II. Aph.*9.

Facilius eſt impleri potu, quam cibis. *Hip. lib.II. Aph.*11.

Quae relinquuntur in morbis poſt judicationem , recidivas facere conſueverunt. *Hip. lib.II. Aph.*12.

Quibuſcumque criſis fit , iis nox gravis , ante acceſſionem ; Quae vero ſubſequitur, magna ex parte levior exiſtit. *Hip. lib.II. Aph.*13.

Ubi cibus praeter naturam plus ingeſtus eſt , hic morbum facit , oſtendit autem Sanatio . *Hip. lib.II. Aph.*17.

Eorum , quae univerſim , & velociter nutriunt , veloces quoque fiunt excretiones . *Hip. lib.II. Aph.* 18.

Quibus Juvenibus alvus humecta eſt , iis

ſe-

ſeneſcentibus exiccatur. Quibus vero Juvenibus alvus ſicca eſt, iis Seneſcentibus humectatur. *Hip. lib.II. Aph.*20.

Famem Vini potio ſolvit. *Hip.li.II.Aph.*21.

Quicumque morbi ex repletione fiunt; curat evacuatio, & quicumque ex evacuatione, repletio: & aliorum contrarietas, *Hip. lib. II. Aph.*22.

Septenorum quartus eſt index, alterius ſeptimanae octavus principium. Eſt autem, & undecimus conſiderandus, ipſa enim quartus eſt ſecundae ſeptimanae. Rurſus vero, & decimus ſeptimus conſiderandus, ipſe ſiquidem quartus eſt a quartodecimo, ſeptimus vero ab undecimo *Hip.lib. II. Aph.*24.

His, quae abſque ratione levant, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quae praeter rationem eveniunt: Talium enim multa ſtabilia non ſunt, neque multum durare, & permanere conſueverunt. *Hip. lib.II. Aph.*27.

Febricitantium non omnino leviter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam pluſquam ratio poſtulat, contabeſcere: malum: Illud enim mali longitudinem, hoc vero imbecillitatem ſignificat. *Hip. lib II. Aph.*28.

Cum morbi inchoant, si quid movendum videtur, move; cum vero consistunt, ac vigent, melius est quietem habere. *Hip. lib.II. Aph.25.*

Ejus, qui a morbo cupide comedit, nihil proficere Corpus, malum. *Hip. lib. II. Aph.31.*

Omnes fere, qui male se habent, circa initia cupide comedentes, nec quicquam proficientes, ad postremum rursus cibum non appetunt; qui vero circa initia cibum valde fastidiunt, postea bene appetentes, ii in melius vadunt. *Hip. lib.II. Aph.32.*

Qui corpore valent, difficulter ferunt medicationes. *Hip.lib.II. Aph.37.*

Parum deterior cibus, aut potus, Suavior autem melioribus quidem, sed minus suavibus est praeferendus. *Hip. lib.II. Aph.38.*

Senes Juvenibus plurimum quidem aegrotant minus: Diuturnis vero morbis correpti fere commoriuntur. *Hip. lib.II. Aph.39.*

Duobus doloribus simul non in eumdem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat. *Hip. lib.II. Aph.46.*

In

In omni corporis motu, ubi laborare coeperit, quies ſtatim laſſitudinem aufert. *Hip. lib.II. Aph.*48.

Conſueti ſolitos labores ferre, etſi ſint imbecilles, aut Senes, non conſuetis, fortibus, atque Juvenibus facilius ferunt. *Hip. lib.II. Aph.*49.

Quae ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſtare ſolent. Oportet igitur etiam ad inſueta tranſire. *Hip. lib.II. Aph.*50.

Plurimum, atque repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſive quovis alio modo corpus movere, periculoſum: Omne enim nimium naturae inimicum. Sed quod paulatim fit, tutum eſt, cum alias, tum cum ab altero ad alterum tranſitus fit. *Hip. lib.II. Aph.*51.

Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, ſuppetente quod ab initio probaveris. *Hip. lib.II. Aph.*52.

Quicumque alvos humidas habent, ſi quidem Juvenes ſint, in melius commutantur iis, qui Siccas habent. Qui vero in ſe-

ſenectute, eo deterius commutantur, nam ſeneſcentibus magna ex parte exiccantur. *Hip. lib.II. Aph.*53.

Magnitudo corporis, Juventae quidem, neque indecens, neque illiberalis; Senectae vero inutilis, & deterior parvitate. *Hip. lib.II. Aph.*54.

Habitus Athletarum, qui ad ſummum bonitatis attingunt, periculoſi, ſi in extremo conſtiterint: Neque enim poſſunt in eodem permanere, neque quieſcere; Cum vero non quieſcant, neque poſſint proficere in melius, reliquum eſt igitur, ut decidant in deterius. His de cauſſis bonum habitum ſtatim ſolvere expedit, ut corpus rurſus nutriri incipiat. Neque compreſſiones ad extremum ducendae; (*periculoſum enim*) Sed qualis natura fuerit ejus, qui debet perferre ad hoc ducere convenit. Sic, & evacuationes, quae ad extremum deducunt, periculoſae; Et rurſus refectiones, cum eſttremae fuerint, periculoſae. *Hip. lib.I. Aph.*3.

In tenui Victu Aegri delinquunt, quo fit, ut magis laedantur. Quicumque enim error committitur magnus, major in hoc

hoc fit, quam in paulo pleniori victu; propterea, & sanis periculosus existit valde exquisitus, & constitutus, quoniam errores gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus eo, qui sit paulo plenior, magis periculosus. *Hip. lib.I. Aph.5.*

Ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu utendum est. Ubi vero non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior. *Hip. lib.I. Aph.7.*

Quando Morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo utendum est. *Hip. lib.I. Aph.8.*

Conjectari autem oportet, an Aeger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat, & num prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, vel morbus antea deficiat, & obtundatur. *Hip. lib.I. Aph.9.*

Quibus igitur statim morbus consistit, iis statim tenuis victus adhibendus est; quibus vero posterius debet consistere, iis & in ipso consistendi tempore, & parum

rum ante illud, cibus ſubtrahendus, prius vero uberius agendum, ut Aeger ſufficiat. *Hip. lib.I. Aph.*10.

In acceſſionibus abſtinere oportet, nam cibum dare nocuum eſt; & quibus per circuitum fiunt acceſſiones, in ipſa acceſſione abſtinere oportet. *Hip. lib.I. Aph.*11.

Acceſſiones vero, & conſtitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum ſucceſſiva incrementa, ſive quotidie, ſive alternis diebus, ſive per majora intervalla fiant. Sed ex iis, quae mox apparent, indicia ſumuntur; Quemadmodum in morbo laterali, ſi circa initia ſtatim ſputum appareat, morbum breviat; Si vero poſtea appareat, producit. Et Urinae, & alvi excrementa, & ſudores, quaecumque apparuerint, vel bonam morborum indicationem, vel malam, vel breves, vel longos fore morbos oſtendunt. *Hip. lib.I. Aph.*12.

Senes facillime jejunium ferunt: Secundo loco, qui aetatem conſiſtentem habent: minus Adoleſcentes: Omnium minimè Pueri, praeſertim, qui inter ipſos ſunt vi-

vividiores. *Hip. lib.I. Aph.*13.

Qui crescunt, plurimum habent calidi innati; plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absumitur: Senibus vero parum calidi innati inest, paucis propterea fomitibus egent, quia a multis extinguuntur. Hanc etiam ob caussam febres Senibus non similiter acutae fiunt: Frigidum enim eorum est corpus. *Hip. lib.I. Aph.*14.

Ventres Hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: Quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda; etenim tunc calor innatus plurimus est, unde, & pluribus egent alimentis: Indicio sunt Aetates, & Athletae. *Hip. lib.I. Aph.*15.

Et quibus semel, aut bis, & quibus, plurane, an pauciora,& particulatim oporteat offerre, considerandum. Condonandum autem aliquid Tempori, Regioni, Aetati, & Consuetudini. *Hip. lib.I. Aph.*17.

Aestate, & Autumno cibos difficillime ferunt, Hyeme facillime, secundum locum Ver habet. *Hip. lib. I. Aph.*18.

Quae judicantur, & judicata sunt integre, ne-

neque movere, neque novare aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter irritando, ſed ſinere oportet. *Hip.lib.I.Aph.*20.

Quae ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo ducere convenit. *Hip. lib.I. Aph.*21.

Concocta medicari, atque movere, non cruda, neque in principiis, modo non turgeant: Plurimum vero non turgent. *Hip. lib.I. Aph.*22.

Dejectiones non multitudine ſunt aextimandae, ſed ſi talia dejiciantur, qualia conveniunt,& Aegri facile tolerant. Atque ubi uſque, ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi Aeger poſſit tolerare. *Hip.lib.I. Aph.*23.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile ferunt; ſi contra difficulter. *Hip. lib.I. Aph.*25.

De Temporibus: Siquidem Hyems ſicca, & Aquilonia fuerit; Ver autem pluvioſum, & auſtrale, neceſſe eſt aeſtate febres acutas fieri, & Lippitudines, & Inteſtinorum difficultates, praecipue vero Mulieribus, & Viris, qui natura ſunt humidiores. *Hip. lib.III. Aph.*11.

Victus tenuis, atque exquiſitus, in morbis

bis quidem longis ſemper; In acutis vero, in quibus non convenit, periculoſus. Et rurſus, qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis eſt; Nam & repletiones, quae ad extremum deveniunt, graves ſunt. *Hip. lib.I. Aph.*4.

Iis, qui per circuitus acceſſiones habent, nihil dare oportet, neque cogere; Sed ſubtrahere adjectioni ante judicationes. *Hip. lib.I. Aph.*19.

Non Satietas, non Fames, neque aliud quicquam, quod modum Naturae exceſſerit bonum. *Hip.lib.II. Aph.*4.

Ubi fames,laborandum non eſt.*Hip.lib.II. Aph.*16.

Quibus Juvenibus alvus humecta eſt, iis ſeneſcentibus exiccatur. Quibus vero Juvenibus alvus ſicca eſt, iis ſeneſcentibus humectatur. *Hip. lib.II. Aph.*20.

Mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos: & in quibuſdam temporibus magnae mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo. *Hip. libIII. Aph.*1.

Naturarum aliae quidem ad Aeſtatem: aliae vero ad Hyemem, bene, maleve, ſe habent. *Hip. lib. III. Aph.* 2.

Mor-

Morbi quoque, alii ad alia bene, vel male se habent,& quaedam aetates ad tempora, & loca, & victus genera. *Hip lib.III. Aph.3.*

In temporibus, quando eadem die, modo calor, modo frigus sit, Autumnales morbos expectare oportet. *Hip. lib.III. Aph.4.*

Austri Auditum hebetant, Caliginem visui offundunt, Caput gravant, Tarditatem, & Languorem inducunt. Quando igitur invaluerint, talia in morbis accidunt: Contra si Aquilonia sit tempestas, Tusses vigent,Faucium asperitates, Alvi durae, Difficultates urinae,Horrores, Costarum dolores, & Pectoris. Quando igitur haec viget,talia in morbis expectare oportet.*Hip.lib.III.Aph.5.*

In legitimis temporibus, ac convenientem servantibus temperaturam, morbi legitimi, & boni judicii fiunt; Intempestivis autem, non legitimi, & mali judicii. *Hip. lib.III. Aph.8.*

Autumno morbi acutissimi, atque exitiales maxime ex parte. Ver autem saluberrimum, & minime exitiale. *Hip. lib.III. Aph.9.*

Qui

Qui non facile per ſuperiora purgantur, ad Veratrum admittendi ſunt pleniore cibo, & quiete Corporibus ante potionem humectatis, *Hip.lib.IV. Aph.*13.

Quibus autem Convaleſcentibus ex Morbo pars aliqua dolet, ibi fiunt abſceſſus. *Hip.lib.IV. Aph.*32.

Sed ſi ante Morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus ſtatuitur. *Hip.lib.IV. Aph.*33.

Et qua parte corporis ſudor eſt, ibi ſignificat Morbum eſſe. *Hip. lib.IV. Aph.*38.

Ex inguinum tumoribus Febres omnes malae, praeter Diarias. *Hip.lib.IV. Aph.*55.

Quibus ſeptimo die fit cryſis, iis nubecula rubea, quarto die in Urina apparet, & alia ex ratione, *Hip. lib.IV. Aph.*71.

Quibus ſperatur abſceſſus futurus ad articulos, eos liberat ab abſceſſu urina multa, craſſa, & alba, qualis in laborioſis Febribus, quarto die, quibuſdam incipit fieri. Si vero ex Naribus fluxerit ſanguis, brevi admodum ſolutio fit. *Hip. lib. IV. Aph.*74.

Si Uterus in Coxam vergens ſuppuratur, neceſſe eſt lineamentum fieri. *Hip.lib.V. Aph.*47.

Quibus os Uteri durum eſt, iis Uteri os com-

comprimi est necessarium. *Hip. lib.V. Aph.*54.

Latae pustulae non admodum pruriunt. *Hip. lib.VI.Aph.*9.

Quibuscumque Venae sectio, vel Medicatio convenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet.*Hip.li.VI.Aph.*47.

In Morbis Melancholicis cum in haec pericula inciditur, stuporem Corporis, vel Convulsionem, vel Furorem, vel Coecitatem significant. *Hip. lib.VI.Aph.*56.

A Ventris dolore diuturno, suppuratio. *Hip. lib.VII. Aph.*22.

Sternutamentum fit ex capite, calefacto Cerebro, aut humectato eo, quod in capite inani. Aër enim intus contentus extra erumpit: sonat autem, quoniam perangustum ipsi est exitus. *Hip.lib.VII. Aph.*51.

Quibus inter Ventriculum, & Septum transversum pituita reposita est, & dolorem affert, non habens viam ad alterum Ventrem: iis per Venas in Vesicam pituita versa, solvitur Morbus. *Hip. lib.VII. Aph.*54.

FINIS.

EMINENTISS. SIGNORE

GEnnaro, e Vincenzo Muzio pubblici Padroni di Stampa in questa Fedelissima Città, supplicando espongono a V. Em. come dovendono dare alle stampe un Libro intitolato: *Novus Aphorismorum Ordo, Authore Dominico Antonio Piscionieri*; Per tanto supplicano V. Em. darne il permesso, e commetterlo alla solita revisione, e l'averanno, ut Deus, &c.

Dominus Abbas Pertusio revideat, & referat. Neap. 14. *Augusti* 1738.

C. EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

D. P. M. Gyptius Can. Dep.

EMI-

EMINENTISSIME DOMINE,

TUo Jussu, vidi opusculum, cui titulus : Novus Aphorismorum Ordo Auctore Dominico Antonio Piscionieri ; Et in eo nil reperi, quod Fidem Catholicam, sive bonos mores laedat ; Quapropter imprimi posse censeo.

Neapoli 28, Novembris 1738.

Franciscus Maria Pertusio.

Attenta supradicta relatione imprimatur. Neapoli 29. Novembris 1738.

C. EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

D. P. M.Gyptius Can. Dep.

S.R.M.

S. R. M.

SIGNORE.

GEnnaro, e Vincenzo Muzio pubblici Padroni di Stampa in questa Fedelissima Città, supplicando espongono a V. M., come dovendo dare alle stampe un Libro intitolato: *Novus Aphorismorum Ordo, Authore Dominico-Antonio Piscionieri*; Per tanto supplicano la M.V. darne il permesso, e commetterlo alla solita revisione, e l'averanno, ut Deus, &c.

D.Ph.D.Agnellus Firelli pro revisione.

Nicolaus de Rosa Episc. Put.Capp.Major.

ILLUSTR., E REVERENDIS. SIGNORE.

IN esecuzione degli ordini di V.S. Ill., e Rev. hò letto il Libro, il di cui titolo è *Novus Aphorismorum Ordo* del Dott.Fisico Domenico-Antonio Piscionieri, e non hò trovato in quello cosa, che alla Real Giurisdizione, ed alla probità de'costumi si opponga; anzi perchè l'Autore lo hà

ben

ben ordinato giudico, che ſia per eſſer profittevole alla Studioſa Gioventù di Medicina, onde, ſe così parerà ad V.S. Ill. e Rev., ſtimo che ſi poſſa dare alle ſtampe.

Napoli 15. Settembre 1738.

Di V.S. Ill. e Rev.

Umiliſs. e Divotiſs. Servo
Aniello Firelli.

Viſo reſcripto S. R. M. ſub die 25. currentis menſis & anni, & approbatione facta per Magn. Agnellum Firelli de commiſſione Rever. Regii Cappellani Majoris.

Die 26. menſis Novembris 1738.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, & approbatione dicti Reviſoris, verum ante publicationem ſervetur Regia Pragmatica hoc ſuum, &c.

ROCCA. MAGIOCCO.
VENTURA. DANZA.

Illuſtr. Marchio de Ippolito Præſes S. C. tempore ſubſcriptionis impeditus.

Athanaſius.

Libri impresentati al Sig. o Torno 1114

Zunaro

L'Arianna

La Caduta de' Longobardi

La galleria del marino

La vita del cardinal mazzarini

Il corso, ed origine del Danubio

La Pietra del Parago

La Faustina del Lupis

Canzone [illegible]

[illegible]

Campana Camporum